K-5-10

15

B-11-II

Rare Book and Special Collections Library

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF CONTE ANTONIO CAVAGNA SANGIULIANI DI GUALDANA LAZELADA DI BEREGUARDO PURCHASED 1921

LEARNING AND LABOR

274.521
So68a
pt. 1-2
cop. 2

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/apologismorummed12sorm

APOLOGISMORUM MEDIOLANENSIUM

VOLUMEN PRIMUM

Continens duas Diſſertationes

I. De ORIGINE APOSTOLICA Eccleſiae Mediolanenſis a S. Barnaba Apoſtolo deducta.

II. De ANATHEMATE S. Ambroſii contra Gallos:

AUCTORE

NICOLAO SORMANO

Oblato, Ambroſianæ Bibliothecæ, Collegiique Doctore.

MEDIOLANI)(MDCCXL.

Ex Typographia Petri Franciſci Malateſtæ,
Superiorum permiſſu.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS


CONTRA GALLOS
MEDIO
BARNABAS
C. l'Poer de
et Sculp

274.521
So68a
pt.1-2
cop.2

EM.^MO PRINCIPI
CAROLO CAJETANO
A STAMPA
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO
PATRONO, AC MÆCENATI
OPTIMO.

NICOLAUS SORMANUS
OBL. BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ, COLLEGIIQUE DOCTOR
S. P. D.

QVa Te die, Fama prægeſtiens Archiepiſcopum renunciavit, PRINCEPS EMINENTISSIME, concors vaticinium fuit, alterum è Cœlo CAROLUM nomine, ſanguine, morumque dulci aliqua imagine adfuturum. Hoc præconio Triumphales Ar-

717482

cus, hoc faſtigia Templorum inſcripſimus; dum Civium connixâ, omnigenarumque vi innumera, Urbem ingrederére pompâ Auguſtino adſpectandâ, ſi in humanis ageret. Conſiderantibus enim, quum apud exteros fungebaris Pontificiis Legationibus, ac Præfecturis, quæ Tibi laus! quantus amor! quæ reverentia contigit! vaticinari facillimum erat, qualis in hac Grandium Avorum Sede Nepos ſis futurus; ubi quoquò intendas animum, obverſantur tot avitæ monimenta laudis, quæ degenerem eſſe haud ſinunt, & ultro nitentem exſtimulant ad meliora virtutum æmulanda chariſmata. Equidem nos firmiſſima tenet ſpes fore, ut quæcunque opera Divo gloriantur CAROLO *auctore, colas impenſiùs, & ea maximè, quæ ad Religionis cultum, ac ſcientiarum ſpectant. Hinc ſtatim a limine coorta Litteratorum concertatio, Te Mecœnatem conſalutat; Tuoque ſuas quiſque auſpicio elucubrationes ambit immortalitati conſecrare. Quos quum omnes amplecteris ùt Pater ulnis expanſis, lactaſque etiam præmii dulcedine: tum nihil videtur optatius, quam Tuo poſſe in affatu conſiſtere, & coram tueri tantam, Patris amore, temperatam Principis Majeſtatem.*

Quam-

Quamobrem noſco divinitus factum, ut hoſce LIBROS APOLOGETICOS devoverem, ſpecie quidem impares Amplitudini Tuæ; at ſi rerum penſitari momenta velint, permagnis herclè Voluminibus conferendos. Namque Prima Pars ſub titulo Barnabas Apoſtolus Eccleſiæ Mediolanenſi Conditor vindicatus, *ita ſe habet, ut in ea agatur Sacroſancta Traditio de Origine Apoſtolica Eccleſiæ Tuæ,* magnum, *Tertulliano teſte,* & invidendum decus (a). *In ea ſimul èt auctoritas agitur S. Caroli, & Concilii Provincialis Sexti, & Martyrologii inter alia etiam Romani, perſpicuè declarantium, S. Barnabam Eccleſiam Mediolanenſem, aliaſque finitimas erexiſſe; quod recentiores aliqui in controverſiam vocare ſunt auſi.*

Partem verò alteram explet Diſſertatio ſuper Anathemate S. Ambroſii contra Gallos; *ubi Ambroſiana Liturgia conciliatur cum Hiſtoria, & a vano Germania æquè, ac Francia maledicto vindicatur. Alia verò ſufficiam duo ex omnimodis Diſputationibus conſerta Volumina; quorum alteri indidimus titulum* Ambroſiana Hierarchia multis partibus illuſtrata. *Alterum duplo majus qua-*

(a) Tertull. loco infrà notato cap. 1.

quæſtiones undeviginti complexum, pergit origines inquirere, progreſſioneſque Cleri Ambroſiani: ubi multa diſputantur adverſus quorundam commenta, antiquas TRADITIONES Patriæ laceſſentium. Ubique verò inſunt Eccleſiaſticæ eruditionis pleraque inſperſa lumina; & intermediæ quædam, aptæque loco inſeruntur minores aliquot Apologiæ, maximæ cæteroquì neceſſitatis ad diſſipandos vulgarium errores. Hæc de toto genere Operis pauca ſufficiant. Exequar ferè omnia, Diplomatum ope ex tabulariis petita; quo in pulvere jam ſeneſco.

Ades jam præſentiſſimo numine, PRINCEPS EMINENTISSIME, quo jubeor, forti animo eſſe, magnoque; dum caput obiicio tot Criticorum telis, hoc potiſſimùm aevo, pro tuenda Eccleſiæ Tuæ Dignitate, Liturgia, Hierarchia, ac TRADITIONUM integritate, memor Summi Viri Cardinalis Borromæi; qui dum Bibliothecæ noſtræ Collegium conderet, ita nos commonefactos voluit: curandum, ut ſpretâ gratiâ non minus, quàm invidiâ, ſcribamus vera magis, quàm pulchra, & quæ juvant potius, quàm quæ delectant.

Has

HAs dum Tibi literas do, Pontificiis Romae diu comitiis detento: ecce rumor feſtivi ingentis nuncii totam latè implet Urbem, PROSPERUM LAMBERTINUM, tandem aliquando votis omnium faventibus, benemerentibuſque, PONTIFICEM MAXIMUM creatum eſſe. Nemo haret, ſcitatur nemo Viri dotes, per gradus ſingulos evecti ad ſummum, noti omnibus, & quantum homini licet, noſcentis omnes. Alii ſuſpenſi in cœlum, ac dulce lachrymantes, dum anteacta reputant, futura præſagientes, mirabundi laudare Sanctum Dei Numen. Negare alii, Gregorio Magno ſucceſſiſſe quemquam aut calamo praeſtantiorem, aut firmiorem pectore, aut qui ad Orthodoxam rem naviter adminiſtrandam attulerit plus animi, ingenii, conſiliique. Portendere unanimes pacis ſequeſtrem inter Catholicos; quorum diſſidio heu! nimiùm graſſatur ille Regnorum gurges, atque helluo Maometus. *Gratulari Eccleſiaſticæ aſſertorem libertatis, ac diſciplinæ vindicem, expulſoremque ignorantiæ, ac ſocordiæ: oſorem non modo luxus, pomparumque prophanarum, ſed affectatæ etiam pietatis: publici unius cumulatorem*

the-

theſauri, ad aliquod grande, ac ſe dignum facinus, parandi: gratiæ verò, ac præpotentiæ hoſtem infenſum: cunctis demum verè Sapientibus, ac ſinceris, & qui ipſum imitentur ſeduli in munere, & aſſidui ſtudio Eruditionis Sacræ, providum, & ultro beneficum Patrem.

Hæc præcox noſtræ Mediolanenſium lætitiæ ſignificatio ſit in partem gratiarum, quas èt Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, *profitemur immortales, pro tanti Pontificis electione; quem ſoſpitent eò uſque vegetum Superi, ut efficere poſſit, quæ in ſuis aureis Voluminibus, præludente Divino Spiritu, jam præſcripſit. Expectamus tandem, quid Legalis in Arce Apoſtolica reſidens Juſtitia polleat; cujus hæc omnium eſt curarum ſumma, ut Epiſcopi eligantur, ſubinde electuri miniſtros ſibi ſimiles ex probis, doctiſque, & indefeſsis digniores; unde probitatis, ac doctrinæ æmulatio oriatur in Clero, abs quo populorum pendet ſalus. Vale. Nos pro tuo reditu facimus vota; & AMBROSIANA SPONSA urget horas.*

Dat. Mediol. XIII. *Kal. Septemb.* CIƆ IƆ CCXL.

ELEN-

ELENCHUS
Capitum totius Operis.

CAP. I.

BAcchini Viri Illuſtris, nedum *Barnabam* Eccleſiæ Mediolanenſis Conditorem, tres etiam ſubinde Epiſcopos *Anathalonem*, *Cajum*, *Caſtritianum* in dubium vocantis opinio proponitur, & oppugnatur. fol. 1

CAP. II.

Speltæ interim, ac *Belladæ* reſpondeo, viam ſternens ad diluenda *Bacchini* argumenta. fol. 11

CAP. III.

Bacchino refellimus primam ex Actis *SS. Fauſtini*, *&* *Jovitæ*, necnon *SS. Syri*, *&* *Juventii* deductam rationem. fol. 18

CAP. IV.

Prodit Codex M. S. cujuſdam Vercellenſis Anonymi, quo validè impugnantur prælibata S. Syri Acta perperam aſſerentia Clerum, & Eccleſiam Mediolanenſem, aliaſq. finitimas ab eodem Syro inſtitutas; atque adeo in Origine Ticinenſem fuiſſe Protomatricem Eccleſiarum in tota Mediolani Provincia ferè omnium. fol. 30

C A P. V.
Solvuntur aliæ quædam Bacchini ingenioſæ dubitandi rationes ex Operibus S. Ambroſii deductæ. fol. 40

C A P. VI.
Proponitur majus aliud Bacchinianæ hæſitationis thema diſcutiendum Capite ſequenti; Interim Cardinalis Baronii hac de re ſententiam propugnamus. fol. 49

C A P. VII.
Antequam Bacchino ſatisfaciam, oſtendo, quam ardua ſint ipſius vota expoſcentis antiquiores Octavo Seculo Tabulas, ac Teſtes de Mediolanenſi Barnabæ Apoſtolatu. fol. 52

C A P. VIII.
Tandem probatur retrogrado ordine Chronologico antiquitas Traditionis de excurſu Barnabæ in Italiam, ejuſque in Ciſalpina Gallia prædicatione. fol. 60

C A P. IX.
Ultra Bacchini Vota depromo etiam ab Seculo Quinto Auctorem Græcum, editurus èt alios ipſi Barnabæ ſuppares, ac coævos. fol. 71

C A P. X.
Jam gradior in apicem ſummum Æræ Chriſtianæ, ut probem ex ſupparibus, & ſynchronis Barnabæ Italicam evangelizationem. fol. 76

CAP. XI.
Corroboratur eadem Traditio ex antiquis monumentis. Simul & effringitur, & retorquetur objectio hodiedùm ineluctabilis viſa; nempe quod in antiquioribus Eccleſiæ noſtræ Miſſalibus, Breviariis, Kalendariis, & hujuſmodi Libris Liturgicis ne nomen quidem Barnabæ inſcriptum fuerit. fol. 90

CAP. XII.
Affero quædam congruentia, ut probem Eccleſiam Mediolanenſem, ac peculiarem ipſius Liturgíam ab Græcis parentibus, ſeu Orientalibus Barnaba, & Anathalone ortam eſſe. fol. 101

CAP. XIII.
De TUMULO S. Barnabæ plura ad rem diſputantur. fol. 106

CAP. XIV.
ANACEPHALÆOSIS cum Appendice; in qua aſſeritur èt PAULI Apoſtoli prædicatio Mediolani habita, ad confirmandam Eccleſiæ Mediolanenſis Apoſtolicam originem. fol. 114

CAP. XV.
PERORATIO, cum Deprecatione, adjecto Opuſculorum etiam aliquo ſubſequentium ſpecimine. fol. 121

* * * * *
* * * *

AUCTORES; ac TESTES

Antiquæ Traditionis, quod S. Barnabas Apoſtolus Nobiliſſimam in Inſubribus, erexerit Eccleſiam Mediolanenſem, hoc ordine alphabetico notantur aliqui ex pluribus, qui, teſte Baronio ad Annum LI., *fidem certam, & indubitatam faciunt.*

ACta Mediolanenſis Eccleſiæ. *Part. 6. num.* 1.

Alexander Monachus Cyprienſis. *In Actis SS. XI. Junii fol.* 453.

Andreas Alciatus. *Hiſt. Patr. Lib. 2. pag.* 96.

Annales Mediolanenſes vulgo el Valiſon *M.S. in Eccleſ. Novarienſi.*

Anonymus de Situ Civitatis Mediol. *Tom.* 1. *Part.* 2. *Rer. Italic.*

Antonius Monchiacenus Democharus. *De Sacrif. Miſſæ Lib.* 2. *Cap.* 13.

Archimanus *Sexta ætate.*

Arnulphus, ſeu alius iſto nomine. *Tom.* 4. *Rerum Italicar. fol.* 45.

Balduinus Junius. *Chron. Moral. ad annum LI.*

Benedictus Jovius. *Hiſt. Cuman. Lib.* 2.

Bartholomæus de Secundis: *Apud Salvatorem Vitalem fol.* 214.

Bernardinus Corius *circa initium Storia di Milan.*

Bernardinus Faynus. *Martyrol. Brixiæ XI. Junii.*

Beroldus M.S. *in Ambroſ. Bibl.*

Bonaventura Caſtilionæus M.S. *Vite dei primi XI. Arciveſcovi Milan.*

Boninus Mombritius *XI. Junii.*

Braunius in Theatro *inſert. Tom. 2. Concil. fol.* 720.

Buccellinus. *Conſtantia ad annum* 51.

S. Ca-

S. Carolus Borromæus. *Concil. Provinc. VI.*
Carolus Sigonius. *De Regno Italiæ Lib.* 1.
Catalogi plures *M.S. Archiep. Mediol. in Bibl. Ambroſ.*
Celeſtinus. *Part.* 2. *Hiſt. Tripart.*
Chronica Leonis. *Apud Caſtellum M.S. Bibl. Ambroſ.*
Conradus Janingus. *Acta SS. Tom.* 7. *Maji fol. LVII.*
Conſtantinus Cajetanus *Lib. de Principio Sedis Apoſtolicæ.*
Defendens a Laude. *Diſcorſo* 6. *pag.* 266.
Dionyſius de Rives. *De S. Petri Primatu*, damnatus.
S. Dorothæus Martyr, vel alius cognomen. *Tom.* 3. *Bibl. PP.*
Donatus Boſſius *Chron. Mediol. ann.* 40.
Donatus Calvus *Ephemer. Bergam. XI. Junii num.* 4.
Eugenius Cataneus Epiſcopus Teleſinus. *Succeſſor. S. Barnabæ.*
Euſtachius a S. Ubaldo. *De Metropol. Mediol. Cap.* 2.
Federicus Card. Borromæus *Diſcorſ. Paſtoral. Part.* 4.
Ferdinandus Ughellus. *Tom.* 4. *Archiep. Mediol. S. Barnab.*
Frances de Cathedral. *Cap.* 3. *num.* 153.
Franciſcus Areſius *Cremona litterata fol.* 39.
Franciſcus Ballarinus *Storia di Como.*
Franciſcus Boſſius Epiſcop. Novariæ Viſitator Apoſtolicus *apud Defendent. Lodi diſcorſ.* 6.
Franciſcus Biviarius *in notis ad Lucium Flavium Dexterum ann.* 34.
Franciſcus Caſtellus *M.S. in Bibl. Ambroſ.*
Franciſcus Sanſovinus *Lib.* 6.
Franciſcus Schotus Antuerpienſis *Itiner. Italic. Part.* 1. *fol.* 119.
Galvaneus de la Fiama *M.S. Bibl. Ambr. Polit. Novel.*, *& alibi.*
Gaſpar Sancius *De prædicat. S. Pauli Tract.* 3. *Cap.* 1.
Gaſpar Triſſinus *Acta S. Savinæ Cap.* 1. *pag.* 15.
Georgius Ganafelt *de S. Beato Helvet. Apoſtol.*
Gotifredus de Buſſero *apud* Jo. *Anton. Caſtilionæum M.S. Onori Sacri di Milano.*
Gualla in Sanctuario Papiæ *Lib.* 2. *Cap.* 6.
Helias Capreolus *Chron. Brixiæ Lib.* 2. *fol.* 9.
Hippolytus Doniſmondus *Nella Storia di Mantova.*
Herman Chrombach. *Hiſt. Trium Magorum Tom.* 3. *Lib.* 2.

Hugo

Hugo Menardus Monachus S. Mauri *Tom. 2. Biblio. Patrum.*
Johannes Butius *Hiſt. Pontifical. Cap. 1. M.S. in Ambroſ.*
Jo. Antonius Caſtilionæus *M.S. Onori Sacri di Milan.*
Jo. Franciſcus Bonomus Epiſcop. Vercell. *De S. Euſeb.*
Jo. Horatius Scolius *Eccleſ. Hiſt. Lib. 1.*
Jo. Baptiſta Villa *Delle Sette Chieſe.*
Joannes a Janua *in ſuo Catalogo.*
Joannes de Ponte *De duabus Monarchiis Lib. 32.*
Jo. Petrus Puricellus *Nazarian. Cap. 2., & in Vita S. Laurentii.*
Jacobus de Voragine *Legenda SS. Lombard. Cap. 76.*
Jacobus Gabianus *Hiſt. Laud. Lib. 3.*
Jacobus Gordonus *Chron. Tom. 2. ann. 51.*
Jacobus Opicellus *de Fonte S. Barnabæ.*
Joſeph de Nigris *Martyrol. Cremonæ.*
Joſeph Vicecomes *de Ritib. Baptiſ. Lib. 1. Cap. 4., & Miſſæ Lib. 1. Cap. 12.*
Joſeph Ripamontius *Hiſtor. Mediol. Lib. 1.*
Landulphus Senior *Tom. 4. Rer. Italic. fol. 68. 76. 77.*
Leonis *Hiſtoria M.S.* apud Bonaventuram Caſtilionæum M. S. *Vite degli Arciveſcovi.*
Lorinus in Acta *Apoſtol. Cap. 15. v. 39.*
Ludovicus Cavitellus *Hiſt. Cremon. ann. 42.*
Ludovicus de Ecclesia *Hiſt. Pedemont.*
Lucius Flavius Dexter, vel alius iſto nomine *ann. 34.*
Ludovicus Vedrianus *Lib. 3.*
Marcus Antonius Benalius *De SS. Bergom.*
Marcus Aurelius Cuſanus *Diſc. Iſtori. Part. 1. fol. 3.*
Marcus Mutius *Part. 1.*
Martyrologium Roman. 7. *Kal. Octob.*
Martyrologia omnia Lombardiæ.
Michael Picolpaſſius *M.S. in Ambroſ. Bibl.*
Monumenta M.S. in Cœnobio S. Petri Brixiæ.
Odoardus Ganolucius *fol. 19.*
Paganus M.S. apud Bonaventuram Caſtilionæum loc. cit.
Petrus Cretenſis, ſeu Alexander PP. V. *apud Carolum a Baſilica Petri Hiſt. Mediol. pag. 14.*

Pau-

Paulus Britius. *Progreſs. Eccl. Occid. Secul. I. num.* 20.
Paulus Merula. *Coſmogra. Lib.* 4. *Cap.* 35.
Paulus Oſman. *Appendi. ad Hiſtoriam Brixiæ.*
Paulus Morigia. *Storia di Milan. Lib.* 2. *Cap.* 1.
Peregrinus Merula. *Santuar. di Cremon. pag.* 157.
Petrus Galeſinus. *XI. Junii.*
Petrus Paulus Boſca. *Martyrol. Ambroſ. XI. Junii.*
Philibertus Pingonus. *Auguſta Taurin. fol.* 13.
Philippus Bergomenſis *Supplem. Lib.* 4. *ann.* 44.
Philippus Labeus. *Tom.* 2. *Concil. fol.* 720.
Petrus Maria Campus *Hiſt. Placent. Tom.* 1. *lib.* 1. *ann.* 44.
Peregrinus de Vinea *Bergom. Part.* 1. *Cap.* 48. *Part.* 2. *Cap.* 52.
Placidus Pucinellus. *Zodiac. in S. Barnab.*
Salvator Surdus M.S. *in Cœnobio S. Angeli.*
Salvator Vitalis. *fol.* 714.
Severinus Binius. *Tom.* 1. *Concil. not. ad Concil. Mediol.*
Scipio Angelus Maphæus. *Hiſt. Mantova. Lib.* 4. *Cap.* 2.
Stephanus Luſitanus Cyprienſis. *Viror. Illuſtr. pag.* 60.
Sylveſter Maurolitius. *Ocean. Relig. Lib.* 1. *Cap.* 1.
Thomas Dempſtenus. *Lib.* 2.
Thomas Maſſentius. *Vita S. Pauli Apoſt. Lib.* 5.
Vincentius Bellovacenſis. *Tom.* 4. *Lib.* 9.

Man-

Mandato Reverendiſſimi Patris contra Hæreticam Pravitatem in hoc Mediolanenſi Dominio Inquiſitoris Generalis diligenter perlegi -- *Apologiſmos Eccleſiæ Mediolanenſis, ſeu Ambroſianæ, in duos Tomos diſtributos, Auctore Nicolao Sormano Oblat. Ambroſianæ Bibliothecæ Doctore* -- cumque in eo nihil prorsùs offenderim a recta vel credendi, vel vivendi regula alienum, ſed omnia Sacra Eruditione referta, & ad hujus Eccleſiæ Ornamentum accommodatiſſima; ideo Typis digniſſimum Opus judico, ubi præfatus Reverendiſſimus Pater annuerit. In hujus rei teſtimonium has dabam. Mediolani Kal. Junii anno Sal. MDCCXL.

Canonicus Joannes Andreas Iricus J. C. Theol., & Apoſtolico-Regii Oeconomatus Auditor.

Die 6. Julii 1740.

IMPRIMATUR

F. Jo. Dominicus Liboni Inquiſitor Generalis Mediolani &c.

Franciſcus Curionus Archipresbyter S. Euſebii pro Emo, & Rmo D. D. Cardinali Stampa Archiepiſcopo.

Joannes Petrus Carlius pro Excellentiſſimo Senatu.

CAP.

CAP. I.

BACCHINI, Viri illuſtris, nedum Barnabam *Eccleſiæ Mediolanenſis Conditorem, tres etiam ſubinde Epiſcopos* Anathalonem, Cajum, Caſtritianum *in dubium vocantis opinio proponitur, & oppugnatur.*

1 MOs eſt gerendus Viris Sapientibus, qui me breviuſcula hæc edere jubent propediem interitura, niſi coeant in aliquod juſtum Volumen, Apologetica Analecta. Primum eſt, in quo Traditio defenditur Patriæ maxima, APOSTOLICA nempe ORIGO Eccleſiæ Mediolanenſis ab Divo BARNABA deducta, neotericis impetita quibuſdam Criticis, qui illum Chriſti præconem totà procul Italià ſubmovent, nedum Inſubrum finibus, negantes uſpiam in terra Italica *Barnabam* fixiſſe pedem. Cum verò multa ad Eccleſiæ noſtræ LITURGIAM, HIERARCHIAM, ac TRADITIONUM integritatem pro mea virili, tutanda ſumpſerim: tum primo ſtatim in limine enitar fortiùs ad hanc omnium graviſſimam cauſſam, in qua Eccleſiæ ejuſdem controvertitur ſumma laus, Parentis nobilitas, ac præſtantia Conditoris, de qua Tertullianus (a): *Magnum eſt*, inquit, *& invidendum decus, poſſe evolvere Ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſores ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem*. Agitur ſimul etiam cauſſa tot Diœceſeum in hac Provincia, eodem gloriantium Apoſtolo inſtitutore. Agitur & auctoritas S. CAROLI, & Concilii Provincialis Sexti, in cujus Actis legitur, *Barnabas* Eccleſiam Me-

(a) *Lib. Præſcrip. adverſus hæreſ.* 132.

diolanenſem, aliaſque finitimas erexiſſe; quæ ſynodica ſcriptio ſpongiam expectat, ſi contrarium prævalet. Demum Patriæ aguntur Sacroſanctæ Traditiones plurimæ, quæ cum ſint originis, ut oſtendam, immemorandæ, eò ſunt acriùs manutenendæ in poſſeſſione; donec ratio evidens non evincat oppoſitum, juxta Doctorum axioma, apud Cardinalem *Bonam*, loco infrà notato.

2 Duos hujus controverſiæ præcentores *Allixium* (a), & *Cavæum* (b), labe utrumque hæretica infectum citant Pater *Euſtachius*, ac *Guerrinus* (c). Re tamen apſe Guillelmus ille Cavæus nihil adverſatur nobis: animum tantummodò videtur ſubdubium oſtendere per hæc verba: *Sunt, qui volunt* Barnabam *Romæ prædicaſſe, ac Mediolani fundamenta jeciſſe*: poſt hæc digreditur ad alia longè abſona, cauſſam *Barnabæ*, ſeu ab ipſo conditæ Eccleſiæ noſtræ relinquens in medio. *Allixio* pluſculùm ambigenti præmiſit fabam, *Antonius Maria Spelta* in ſua Papienſi Hiſtoriuncula italicè ſcripta fol. 29. *nixi omnes*, ut Guerrino (d) videntur, *argumento negativo nimiùm inani*, & hæreticis obvio, *quod in Actis Apoſtolorum, & primi Seculi Chroniſtis non habeatur diſtincta mentio. Nubeculam hanc diſſipat ſacræ hiſtoriæ prima fax Baronius ad annum LI.*

Papæ! leviuſculam hanc dubitationem putaſſem ego non tam pondere attritam, quam numero Doctorum, quos catervatim cient *Boſca* (e), *Picinellus* (f), *Puricellius* (g), ac noviſſimè Pater *Euſtachius à Sancto Ubaldo* (h). Quænam alia mediusfidius apud nos hiſtorica veritas, tot fulta calamis, tot monumentis corroborata, quàm quæ impræſentiarum tutanda nobis eſt de Italica Barnabæ prædicatione, primàque ab eo advecta nobis Evangelii face? Ea quidem teſtimonia perpendens ſimul omnia Parens, & Princeps Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Cardinalis

(a) Allixius. *Annot. ad hiſt. antiq. Pedemont.*
(b) Cavæus. *De Scriptor. Eccleſ. Sæcul. Apoſt. fol.* 9.
(c) Guerrinus. *In addition. ad Ughel. Tom.* 4. *fol.* 410.
(d) Ibidem.
(e) *Martyrol. Ambroſ. III. Idus Junii.*
(f) *Zodiac. Milan. S. Barnab.*
(g) *Nazarian. cap.* 2.
(h) *Metropol. Mediol. ſec.* 2. *cap.* 2.

nalis Baronius (ſtatimatque rejecit fabulas Dorothæi , ne iis videretur permoveri, aut fidere quicquam) in hanc ſententiam deſcendit ad dictum annum LI. *Verùm ipſum* Barnabam *in Italiam veniſſe, & in Liguria prædicaſſe Evangelium, NOBILISSIMAMQUE MEDIOLANENSEM ECCLESIAM erexiſſe, longè latèque Chriſti fidem propagaſſe, firmæ traditiones, ejuſdemque Eccleſiæ monumenta complurium ſcriptorum teſtimoniis confirmata, FIDEM CERTAM, & INDUBITATAM faciunt.*

3 Baronii tanta auctoritas allegantis firmiſſimam TRADITIONEM (abs qua ſine evidenti ratione abſcedere non eſt fas, uti clamant jura omnia apud Eminentiſſimum *Bonam* (a)) debuerat ſatis, & abunde eſſe non utrique illi acatholico, apud quos malè ſonat ipſum Traditionis nomen, ac Baronius ipſe malè audit, ſed Ticinenſi illi *Speltæ*, & *Octavio Belladæ*, quos hujus dicæ primarios inſtinctores profert *Euſtachius*, ac retundit momento perlevi. Eorum elumbi, luxæque ſententiæ aliquot aſſeclas dedit novitatis prurigo, ac ſtudium eruditionis oretenus oſtentandæ. Futilibus diu res, ac perfunctoriis jactata ſermonibus, ubi ad acrem venit BACCHINI calamum, viri cumprimis litterati (cujus ſuſpiciuncula duabus cæteroqui pagellulis terminatur) tum ſiqui de cortice ſapiunt aliquid, timor eos putidulus inceſſit, ne videantur parùm ſapere, ſi *Barnabam* in Italia verſatum haud dubitatim ferant.

4 *Bacchino* nihilominus, & ejus veſtigia *Tilemontio* (b) ponè relegenti ſufficerent pauca, non item ſuffectura aliis, qui haud ſciunt omnia. His recoquam oportet eandem crambem, imò & ingeram multò plura, quam quæ Baronio CERTAM adſtruxerant olim, & INDUBITATAM FIDEM.

5 Agedum, & huic enervi quorundam ambiguitati conſtantiſſimam totius opponas Italiæ fidem ex Hagiologiis, Diptycis, Martyrologiis, Epiſcoporum Catalogis manantem. Primum omnium (ſequar TRADITIONIS ordinem retrogradum a proximis ad ſummum uſque remotiſſimorum apicem temporum) propono textum Concilii Provincialis VI. *Tit. De diebus*

(a) Apud Card. Bonam *Rer. Liturg. Tom.* 3. *Lib.* 1. *Cap.* 10. *fol.* 95.
(b) Tilemont. *Memoires pour l'Hiſt. Eccl. Tom.* 1. *Edition. Venet.*

feſtis. Dei munere, beneficioque, cum Eccleſia Mediolanenſis, Sanctiſſimi Apoſtoli Barnabæ *prædicatione, primùm Fidei myſteriis imbuta: tum aliæ pleræque hujus Provinciæ Civitates, Evangelii luce illuſtratæ, cauſſam omnes feſti illius diei præcipuè colendi habent.* Hiſce apicibus video nihil ad rem decerni; ſed ut loquar ex ſchola, tantummodo *præſupponitur* Eccleſia noſtra ab hoc Apoſtolo genita. Qua *ſuppoſitione* ſtat, tanquam fulcro, eoque ſubducto, ruit cauſſa ſynodicæ ejus præceptionis de celebrando *Barnabæ*, utpote noſtri Parentis Maximi, natali die. Falſi autem, vel minùs rationabilis *ſuppoſiti* coarguere Sacrum Mediolanenſis Provinciæ Senatum, cui Præſes erat *S. Carolus*, ſano cuique pudor ſit, niſi contrarium certò conſtat; certò autem non conſtat, quandiu Bacchinus ipſe dubitat, ut infra liquebit ex ejus textu verbatim reponendo. Quidquid tamen eſt, herclè in iis, quæ ad Eccleſiam ſuam ſpectant, & quæ præcipuè in Conciliis, prævio jejuniorum tanto, ac ſolemnium ſupplicationum apparatu, tractaret S. CAROLUS, prætorquamquod, cœleſti quadam, a Patre luminum, eruditione afflatus fuiſſe videtur; ſcimus etiam exquiſito Virorum ſapientum, quos per litteras conſulebat procul, & ſuam in aulam, ceu in Seminarium Sapientiæ collegerat, uſum ſtudio, ac labore eſſe, in perſcrutanda veritatis medulla: id quod ipſe in Litteris Paſtoralibus ad frontem Breviarii, ac Sacramentarii dilucidè profitetur. Quamobrem hæc S. Caroli aſſertio habenda ſaltem eſt, loco magni teſtimonii de antiquitate, & ſoliditate Traditionis, quam nos pro cardine tutandam ſumpſimus. Haud aliter (liceat hoc etiam argutari) IMMACULATÆ VIRGINIS feſtum diem nobis imperat Pontifex, fide nondum tanti Myſterii clarè ſancita; aſt relinquitur ad arguendum ex doctrina Thomæ, ſanctam nonniſi Conceptionem ejus fuiſſe, cum non liceat feſtum celebrare, niſi de Sancto. Vix enim fieri videtur poſſe, ut vi præcepti, nefas ſit non colere, quod ſit fas dubia mente ſuſpendere; quandoquidem honos, cultuſque, ni ſit ex animo, inanis eſt. Hæc mihi ſurripuit amor IMMACULATÆ, pro qua quid non?

6 Perge ex iiſdem Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Part. 6. Ecce

Tabula

Tabula Epiſcoporum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ ex decreto Concilii Provincialis IV. edita. Primo S. Barnabas Apoſtolus Cyprius &c. Mediolanenſem Eccleſiam inſtituit. Parte verò ſeptima eorundem Actorum tit. *Litteræ Paſtorales*, occurrit ejuſdem S. CAROLI epiſtola encyclica de Translatione Corporis S. Simpliciani, hoc præfixo lemmate: *Miſericors, & miſerator Dominus*: mox in longam excurrit enumerationem Mediolanenſium Præſulum, quam latinè ego in compendium contraho. *Ingentis beneficii ponendum eſt loco, quod ſtatim ab Evangelicæ prædicationis limine, noſtræ huic Civitati, ac Provinciæ lumen Sanctæ Religionis affulſerit. Venit Mediolanum Sanctus BARNABAS Apoſtolus, Divinique effuſo Verbi ſemine, & magna Populi parte ad Chriſtum converſa, etiam Civitates Provinciæ ſacroſanctis erudivit myſteriis. Romà poſtmodum acceſſit* Nazarius *Martyr glorioſiſſimus; qui ſtrenuis modis, ac demum inter cruciatus dato ſanguine, Fidem* Jeſu *Chriſti conteſtatus eſt; duos enim impavidos ſodales* Prothaſium, *&* Gervaſium, *cives primarios tam magnis implevit animis, ut Nerone immaniter ſæviente, martyrium læti ſubjerint. Summa èt in hoc elucet Dei clementia ergà nos Mediolanenſes; quòd per eadem caliginoſa tempora, præclaram nobis eſt impertitus optimorum Præſulum ſucceſſionem* Anathalonis, Caji, Caſtritiani *&c. Ex his maximopere zelus enituit* Anathalonis, *qui ſimul Bergamum, Brixiamque, accepta ab Apoſtolo Fidei Chriſtianæ elementa transfudit. Eò autem mirabilior Dei reſplenduit miſeratio; quòd iſta in Urbe, quo potiſſimum tempore tyrannis immaniſſima graſſabatur, excitata ibidem ſit Chriſtianæ fortitudinis arx, connitentibus pro Chriſti nomine,* Cajo *ſubinde,* Caſtritiano, *ac* Calimerio, *qui præ cæteris ſummo labore, ſatam per Liguſticos fines, Sanctæ Religionis propaginem, ſuo etiam irrigatam cruore, effecit multis partibus auctiorem &c.*

7 Hæc, & alia Clerum, Populumque edocebat S PATER, in iis cœleſti unguine delibutis epiſtolis: quæ *Bacchinus* in dubium revocat ferè omnia, ne ſint ex vano hauſta. Nam primævi, ante *Calimerium* quatuor Antiſtites, à Divo *Carolo* tantopere laudati *Barnabas, Anathalo, Cajus, Caſtritianus* ambigere, nos jubet idem Abbas, ne fortaſſe nunquam aſpexerint Eccle-

ſiam

ſiam hanc; proindeque, velut aſcititios, radere oporteat è Pontificali albo: quam dubitationem illico patefacient verba ipſius Abbatis; ubi ex Actis SS. *Fauſtini*, ac *Jovitæ* Brixienſium, nec non S. *Syri* Ticinenſis, multa aggerit ad excitandam ſuſpicionem, ne fortè Mediolanenſis Cathedra ab *Calimerio* cœperit, ac propterea quotquot ante ipſum in ea ſediſſe, tanta cum laude memorabat S. Carolus, tanquam inania noſtrorum nomina Præſulum, è catalogo ſint amovenda.

8 Jam modo ſingulas de hac ipſa Traditione Civitates Comenſem, B ixienſem, Bergomenſem, Rhetos, Helvetios, alioſque ſententiam rogemus. *Novocomi natalis* S. Barnabæ *Apoſtoli, quo tempore Mediolanenſem inſtituit Eccleſiam, populum etiam Novocomenſem ethnicam ſuperſtitionem ejurare docuit*: ita ex eorum Martyrologio, tertio idus Junii. *Brixiæ* S. Barnabæ *Apoſtoli, qui cum multos Idolorum cultores ad Chriſtum convertiſſet, Eccleſiam Brixienſem ſanctiſſimè fundavit*: Martyrol. Brixiæ ad eundem diem. *S. Barnabas Apoſtolus, jactis Mediolani Chriſtianæ Fidei fundamentis, ad propagandam Religionem, Bergamum ſe contulit*: Martyrol. Bergomat. ſexto Kalendas Septembris. Pro Novarienſibus ſententiam dixit Carolus a Baſilica Petri, ipſorum antiſtes Lib. 2. Novar. Sacr. *Chriſti Fidem apud Novarienſes nunciatam per id tempus non dubito, quo ad Mediolanenſes pervenit*. Et de Metropol. Mediol. num. 5. *Traditum*, inquit, *à majoribus, mandatumque litteris, non ſolùm in Mediolanenſi, ſed in aliis quoque Provinciæ Eccleſiis*, D. Barnabam *Evangelium prædicaſſe*. Baronius hanc quoque impertit Genuenſibus laudem ſatis illuſtri teſtimonio: *Eccleſia*, infit ille ad annum 451. *Genuenſis nemini cedens antiquitate, ſicut & Mediolanenſis à S.* Barnaba *Apoſtolo ſe accepiſſe Evangelium, gaudet*. Hoc idem de Eccleſia Mutinenſi ab eodem Chriſti alumno incohata adfirmant *Ludovicus Vedrianus* Lib. 3. de Parmenſi Ughellius Tom. 4. col. 119. de Mantuana, Cremonenſi, Laudenſi, Vercellenſi, aliiſque in Subalpina Gallia initiatis Eccleſiis, auctores perhibet *Euſtachius*; quorum pleroſque hac una theſi comprehendit *Petrus Galeſinus* ad diem XI. Junii: Barnabas *peragratà omni ferè Inſubriâ, Evangelium multis locis diſſeminavit*.

9 Hinc

9 Hinc *Anathalone*, quem ſecum advexerat, Græco homine, Mediolano ſimul, Brixiæque Præſule conſtituto (erat enim Brixia Cenomanorum: Mediolanum verò totius caput Ciſalpinæ Galliæ) idem Apoſtolus ad Helvetios tranſiit, Rhetoſque peragravit. *Sed èt* Barnabæ *in diſtrictu Diœceſeos noſtræ, prædicando aliquandiu ſubſiſtit, & ipſe meritò inter tutelares Conſtantiæ noſtræ recenſendus; a quo in Rhetia etiam aliquandiu ad Montem Lucumonis ſubſidente, ille ipſe Mons deinceps S.* Barnabæ *eſt appellatus*: hæc Buccellinus, ſtatim ad ſubſequentem annum ſubjungens: Barnabam *quoque Apoſtolum a Petro Mediolanenſibus Epiſcopum ordinatum, Rhetiam, & Helvetiam curaſſe, & viſitaſſe, nemini dubium eſſe debet.*

10 At quid ſingulos recenſeam? — *Omnes*, infit Guerrinus, *conſtantiſſima traditione, Auctores noſtri Bergomates, & Mediolanenſes, Brixienſes, Mantuani, Cremonenſes, Laudenſes, Novarienſes, Vercellenſes, Taurinenſes, Placentini, Januenſes, Conſtantienſes, Albenſes, Abintimilienſes, Albigavenſes, AuguſtæPrætoriæ, Parmenſes, & alii fatentur* Barnabam, *peragrata omni Inſubria, ſemen Evangelii ibi effudiſſe*. Et infra. *Accedunt innumeri Scriptores; quibus ſi opponatur, eos natos eſſe poſt mille annos a Sancti Apoſtoli morte* (nos tamen Cap. 6. longè antiquiores alios proferemus) *nemo inficias ire poteſt, ſaltem fuiſſe, & eſſe Teſtes inconcuſſos perpetuæ Traditionis*. Hoſce ego facilè cuique adeundos Scriptores compegi in elenchum ad hujus Diſſertationis calcem, ut eò quiſque præclariùs intelligat, quanta TRADITIONIS celebritas ſit, quam unanimes affectantur tanto numero Doctores, tantàque gravitate. Ducenti, non quidem antiqui omnes, ſed antiquæ Traditionis aſſeclæ, imò quotquot rem iſthanc attigere Scriptores, præter duos, aut tres (qui èt ipſi ambigui potiùs videntur, quàm contrarii) nonne *moralem*, ut ita loquar, certitudinem efficiunt? Herclè nonniſi levis, imprudentiſſima, & ſano cuique temnenda formido relinquitur.

11 Tandem ſubdit idem Guerrinus. *Sancta Romanæ Eccleſiæ omnium Magiſtræ ſtat oraculum in Romano Martyrologio, & Decretum habemus approbationis Officii de S. Narni ordinatione facta Bergami, per D.* Barnabam *a ſanctæ memoriæ Sixto Quinto* 1587. *reviſi*

reviſi 1614. *a Sacra Congregatione Rituum, referente, & ſubſcribente clara memoria Cardinali Roberto Bellarmino*. Pondus verè eximium Traditioni accedit ex prælaudato Martyrologio; cujus auctoritatem tanti pendere nos oportet, quanti rem ad uſum Catholicæ Eccleſiæ deſudatam ſub oculis Summi Pontificis. *Scimus enim*, inquit Baronius in Prologomenis Cap. 7., *in eo reſtituendo piorum, & eruditorum ſudaſſe ingenia, ſummàque adhibità diligentià, antiquorum multiplicium exemplarium collatione &c.* Et ibidem. *Gregorius XIII. ad perpetuam rei memoriam. Emendato Kalendario, curavimus Romanum Martyrologium per Viros eruditos AD FIDEM HISTORIÆ corrigi, correctumque edi.*

12 Quid autem de S. *Barnaba* Romanum Martyrologium perhibet? *Die ſeptimo Kalendas Octobris*, ſic legitur. *S.* Anathalonis, *qui B.* Barnabæ *Diſcipulus, in ejus locum, Eccleſia Mediolanenſi ſucceſſit*. Rogo: quì fieri potuit, ut *Anathalo* ſuccederet *Barnaba* in regimine hujus Eccleſiæ, niſi *Barnabas*, ante *Anathalonem*, eidem Eccleſiæ præfuiſſet?

13 Momentum, ſi quid video, ad hanc cauſſam non leve adferunt Dypticæ Tabulæ, queis titulus. *Succeſſores Sancti* Barnabæ *Apoſtoli in Eccleſia Mediolanenſi, ex Vaticana Bibliotheca &c. collecti &c., juſſu Pii Quinti Pontificis Maximi*. Hoc opuſculum auſpicante Cardinali Sfondrato, editum, ſic habet: *Barnabas Apoſtolus Cyprius, primùm Antiochiæ, Jeſu Chriſti fidem diſſeminavit, deinde Tharſi, pòſt multis peragratis Provinciis, primus per commiſsionem Beati Petri, Romanis fidem prædicavit: deinde ab eodem Petro miſſus in Galliam Ciſalpinam, Mediolanum venit, ibique Eccleſiam inſtituit*, Anatholio *Epiſcopo, & ſucceſſore relicto*. Anatholius *Græcus, comes peregrinationis, & Diſcipulus Sancti* Barnabæ, *tantæ ſanctitatis vir fuit, quòd ſolo flatu obſeſſos a Dæmoniis liberaret &c.*

14 Neque minoris æſtimem inter recentiores (antiquos enim retrogrado ordine exponam in progreſſu) aureum M. S. Codicem *Bonaventuræ Caſtillionæi*, Viri planè digni, quem commeantes ad Tridentinam Synodum, Patres Hiſpani conſulerent ſuper ſtatu Mediolanenſis Eccleſiæ, priuſquam regendam Ambroſius ſumpſerit, rati id forſitan ad Conciliares tractationes conferre

ferre plurimum poſſe, ſi noſſent, quomodo primis quatuor Seculis, Eccleſia noſtra ſe gereret erga Romanam Protomatricem, cujus lateri, tanquam filia proximior, inhærebat. Itaque *Bonaventura*, conquiſitis ſummo labore monumentis, ſcripſit italico ſtylo rudiore, Vir cæteroqui latinè doctiſſimus, *Vitas* primorum undecim Mediolani Antiſtitum: a Divo *Barnaba* Conditore exorſus, rerum ſeriem exegit ad uſque *Dionyſium*, cui proximè ſucceſſit *Ambroſius*. Ego auctographum ſervo pluribus emendatum lituris: duo exempla habentur in Tabulariis Metropolitanæ, & Ambroſiani Monaſterii: aliud in Hiſpaniam devenit, ùt Auctor ipſe profitetur in Prologo, abs quo carptim hæc: *Al Rm̃o, & Illm̃o Monſig. l' Arciveſcovo di Milano Primario de Metropolitani de Italia. Son già molt' anni, che io con grandiſſima cura raccolſi alchune minuzze delle memorie degli undeci Veſcovi predeceſſori del Dottore irrefragabile Ambrogio Santiſſimo. Di poi ſend' io l' anno paſſato dall' Honoratiſſimo Veſcovo Guidixenſe Monſig. Martino della Jala Spagnolo inſtantemente ſollecitato a compiacerli di eſſe memoriette, come ad homo di rariſſima dottrina, e ſtudioſiſſimo d' intendere li primi rudimenti della Santa Chieſa Milaneſe, non potei negarli.* In calce ejus nuncupatoriæ epiſtolæ ſic legitur. *Sapeo ben io di non eſſere degne di pervenire nelle ſacratiſſime ſue mani, le quali riverentiſſimamente baſio dalla Scalla l'anno del Signore* 1554. Inde ſequitur titulus primi Capitis. *DI SANTO BARNABA' APOSTOLO PRIMO VESCOVO DI MILANO. Ancorchè con authorità di particolare autentica ſcrittura mal ſi poſſa interamente far prova, che l'Apoſtolo Barnabà predicaſſe nella Città noſtra di Milano lo Evangelio di Criſto, e vi battezzaſſe, e celebraſſe la Santa Meſſa; non è però, che di ciò ſi deggia, nè ſi poſſa altramente credere, nè pur penſare, ſtando fermiſſima, continoa, e sì indubbitata opinione tratta per sì longhi interponimenti di tempo, come dall' una in l' altra mano &c. Però non ſenza ragion eſtimar ſi dovrìa non meno ſoſpetto di calonnia, e fuorſe di maggior errore, ſe voleſſe contradire, e riccercare fede per ſcrittura più oltra, circa la venuta del Beato Apoſtolo Pietro in Roma: ſtando, come ſenza dubbio ſta sì longa conſuetudine conſervatrice, e la fede oſſervatrice in*

tante maniere, che partendo l'Apoſtolo Barnaba da Roma, ſendogli rafferto la magnificenza, e grandezza della Città di Milano, e dallo Spirito Santo, che il guidava, condotto vi pervenne con li doi diſcepoli Anathalone, e Cajo, e che vi ritrovarono Giuliano Preſidente Imperiale al reggimento della Ciſalpina Gallia &c. Satagit inde ſubſtruere ex autenticis, ut ipſe appellat, Chronicis *Leonis*, ac *Pagani* nonnulla teſtimonia, quæ nos, & alia multò ampliora dabimus: incuſat etiamvero Barbaros, qui ſcripta, ſcultaque proruerint ferè omnia iterato ſæpè excidio Urbis; ſimulque cauſatur finitimorum invidiam in Metropolim, maximèque Papienſium, qui vetuſtiſſimam hanc, ac ſacroſanctam Patrum Traditionem vanis ſuſpicionibus pulſare aliquando ſint auſi; ſed de his infra latiùs.

15 Hucuſque delibaſſe aliquot ſufficiat ex Neotericis ferme innumeris Doctoribus, quorum indiculum ſpopondi adſuendum in calce. Atque ut perficiam hoc primum Caput Diſſertationis meæ, in quo recentiores tantummodo innuimus, ita demum ſtatuo, ac definio. Etſi Veterum quos edam Capite Sexto, multimoda Scriptorum teſtimonia deeſſent; ſat ſuperque ad comprobandam Traditionis firmitatem eſſe debet tot Eccleſiarum mira conſenſio obſignata libris myſticis ſanctioribus, ac recepta ſolemniùs inter aras, Divinorumque, ut infra dicam, Officiorum celebritate quodammodo conſecrata. Patres enim noſtros, tot ſimul Liturgas, tot Epiſcopos in re tam gravi, aut mentitos eſſe, aut falſos, ſimulque tot Diœceſes ampliſſimas, tanto errore ductas in hanc diem fuiſſe, ut *Barnabam* ſacris majoribus celebrent Parentem, ac Conditorem ſuum, cui ne viſæ quidem eæ Diœceſes fuerint, profectò ſapiens nemo dixerit, niſi evidenter probet; evidens autem probatio certè abeſt, quum *Bacchinus* dubium ſe ipſe profitetur per hæc verba. *Res eò deducitur, ut incerta ſint, quæ de fundata per* Barnabam *Mediolanenſi Eccleſia circumferuntur.*

CAP.

CAP. II.

Speltæ *interim, ac* Belladæ *reſpondeo, viam ſternens ad diluenda* Bacchini *argumenta.*

1 ADverſus tot Doctorum phalangem (quanquam triarios eduxi nondum) quonam ſe ſe opponat telo, *Antonius Maria Spelta*? Hæc unica ipſius eſt imbellis ſariſſa: ſi Barnabas Mediolani prædicaſſet, non utique S. JUVENTIUM Papiæ Epiſcopum, Mediolanenſes verberaſſent: fol. 29.

2 En crimen! En cauſſa injuriarum, cur iſte bonus Auctor, Apoſtolum nobis adimat. Tutari ille priùs debuiſſet ſuorum chronologiam Ticinenſium Præſulum, quàm laceſſere alienam. Norunt Docti, quid de ea ſentiat doctiſſimus Novariæ Antiſtes *Carolus a Baſilica Petri* (a): quæ ſi vera ſunt, argumentum *Speltæ* collabitur funditus. Nihil ego dicam ampliùs, ne videar aliena vellicare potiùs, quàm noſtra defendere. Cæterùm hac ratione, non tam de Sede Mediolanenſi Barnabas, quàm de Romana PETRUS evertitur; niſi velit idem *Spelta* nos ignorare, quot Roma Chriſti aſſeclas habuerit poſt adventum *Petri*, non cæſos modo verberibus, ſed immaniſſimis quoque cruciatibus mactatos. Non uno omnes ſtatim verbo in Chriſtum credidere: poſt Barnabæ æquè, ac Syri, Juventiique prædicationem, ſuperfuere quamplures, qui & Mediolani Ticinenſes cæderent, & Ticini Mediolanenſes obtruncarent. Meliùs ſapit *Gualla*, qui èt ipſe, in Papiæ Sanctuario *Lib. 2. Cap. 6.* dolet Juventium fuiſſe Mediolani ab ethnicis malè habitum; at enim *Libro 5. cap. 3.* ex dolore noluit a veritate ita diſcedere, ut nobis Apoſtolicæ invideret originis gloriam. Itaque confitetur his verbis: *Barnabas venit Cyprum: poſteà verò jubente Petro, veniens Mediolanum,*

(a) *De Metropol. Mediol. pag. 4.*

diolanum, univerſam Ciſalpinam Galliam, unà cum ſuis diſcipulis Evangelicà doctrinà, miraculorum claritate, & ſanctitatis operibus ad Chriſti fidem convertit.

3 Solidius fortaſſe aliquid objiciet *Octavius Bellada*; cujus ferè totum eſt in negatione poſitum robur, ut dicat non conſtare ex Apoſtolorum Actis, Barnabam, Evangelii cauſsà, in Italiam veniſſe. Cui ego id unum reſpondeo, quod eſt firmiſſimum (cætera liquebunt ex dicendis) non omnia Chriſti, neque Apoſtolorum ejus geſta fuiſſe litteris conſignata, ſed multò plura fideli tradita memoriæ eſſe, quæ, quaſi per manus, a Majoribus venirent ad poſteros: id quod compertiſſimum habeo ex Joanne Evangeliſta 16.: multa alia ſupereſſe, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

4 Quæſo doceas *Bellada*, ubinam iiſdem in Actis *Syrum* invenias a *Petro* tuis ordinatum Papienſibus Antiſtitem, aut *Marcum*, Alexandrinam in Ægypto Eccleſiam erexiſſe. Sacrà, nihilominùs tacente Hiſtorià, Traditio loquitur, cui adquieſcendum pronuncies; alioquin certi quid eſſet uſpiam in humanis, & quanta acatholicis anſa præberetur, ſi ubique Scriptura Sacra, aut quæ falſimoniis etiam obnoxia eſt, prophana velit expectari.

5 Porrò S. *Lucas*, Apoſtolicæ ejus concinnator hiſtoriæ, fermè eſt totus in deſcribenda peregrinatione S. *Pauli*, cujus ferè nunquam deſeruit latus: cæteri quid interea procul agerent Apoſtoli, aut ſilet, aut parciore calamo delibat ex conjunctione cum Paulinis itineribus. Quare ſi *Lucæ* ſtandum tantummodo ſit, curta admodum ſupellex Apoſtolicarum inde laudum nobis ſuppetat. Unum ſtylo Barnabam proſequitur æquè diligenti, quandiu Barnabas cum Paulo fuit; quamquam multa etiam tum ſilentio involuta animadvertit Clariſſimus *Papebrochius* XI. Junii fol. 425 „ Adductus a Barnaba
„ Paulus ad Petrum fuit Damaſco, quò tunc Barnabas ex-
„ currerat, miſſus haud dubiè ab Apoſtolis, licèt id in actis non
„ dicatur. Quod non miraberis in Luca, ſi conſideres, quo-
„ modo in ſuo Evangelio, Præſentationi Infantis in templo

„ jungat

„ jungat reverſionem Parentum ejus in Nazareth, & mox „ duodennis Pueri amiſſionem; licet Præſentationem ſecuta „ ſit Magorum adoratio, fuga in Ægyptum, & cædes Infan- „ tum, ac denique mors Herodis, poſtquam primùm redie- „ runt in Nazareth, unde diſceſſerant diu ante ad cenſum „ Bethlemi ſubeundum, & ubi morati fuerant uſque ad Ma- „ gorum adventum.

6 Cæterum de Italico Barnabæ itinerario, cur nihil Sanctus Lucas retulerit in Apoſtolorum Acta, quæſo cauſſam ediſcat *Bellada* ex iiſdem Actis Cap. 15. Poſtquam ea diligenter enarraſſet Lucas, quæ Paulo, ac Barnabæ itinerum conſortibus, ac laborum, fortiter pro Chriſto geſta fuerant, ſubdit divinitus factum, ut ex Urbe Antiochia digreſſi ambo, Barnabas Cyprum, Paulus aliorſum intenderit toto ſejunctum cœlo iter. Tum Lucas fidiſſimus Paulo comes adhæſit, procul ab Italia peregrinanti: quod verbis idem Evangeliſta luculentiſſimis indicat apud *Balduinum Junium* ad annum LI. *Ex hoc tempore, quod Lucas unà cum cæteris Paulo præſto eſſet, ſe ipſum cum aliis annumerans, hac in perſona prima ait*: venimus, quæſivimus.

7 Præterea velim attentè conſideres, quàm dilucidè ſuis idem Lucas in Annalibus, totum illud digeſſerit iter Sancti Pauli? quanta ſedulitate, loca ſingula, & conciones, & labores, atque diſcrimina, quorum Scriptor idem non minima fuerit pars, adnotaverit?

De Barnaba verò, cuius tam multa, atque magna enarrabat annis ſuperioribus, quid poſtmodum habet Auctor iſte tantopere exactus? ne verbum quidem minimum. Poſtquam dixit: *aſſumpto Marco, Barnabas navigavit Cyprum*, marte toto proſecutus Paulum, nuſquam meminit Barnabæ, perinde ac ſi tantus Apoſtolus nihil ageret uſpiam in humanis. Quid! Itaneverò? Num tempus illud omne, quo tantæ res in Oriente a Paulo geſtæ laudantur, Barnabas inglorius in Inſula Cypro, Salaminæ in Patria ſua conquievit? Imò ſiquid ſapio, hoc ipſum probat validiùs, noſtrum Apoſtolum in extremum latus Italiæ, atque ad haſce remotiſſimas

Oc-

Occidentis partes peregrinatum fuiſſe, quem propterea Lucas cum Paulo in ultimas Syriæ, Aſiæque oras digreſſus, calamo aſſequi desierit, fidens interim non defuturos, qui, ubicunque ageret Barnabas, ejus geſta litteris mandaret; uti reapſe & in Italia, & extrà non defuere plurimi; tametſi eorum ſcripta, ut mox dicam, Diocletiani incendium abſtulerit ferè omnia. At gratiæ Superis: hac de re tot monumenta aggeſſere noſtri Majores, ut quamvis exciderint multa, tot adhuc reliqua ſint, quæ *fidem certam, & indubitatam faciant*.

8 Hæc Baronii verba excepit eadem, ac recantat *Balduinus Junius* ad annum LI. Chron. Moral., licèt auctorem non ſalutet. *Poſt hac tempora*, nempe digreſſo una cum Luca, aliiſque in Orientem Paulo, *quum Barnabas Cyprum profectus eſt, viſitatis, confirmatiſque, quæ ibi erant, Eccleſiis, in Italiam navigaſſe non negarim*. De hac enim Italica navigatione *firmæ traditiones, ac monumenta certam fidem, & indubitatam faciunt*: hæc ad annum 51., quo Barnabæ à Paulo abſceſſionem ex Urbe Antiochena incidiſſe *Junius* affirmat ex communi Doctorum ſententia.

9 Quæſo intende animum. Paulus, ac Barnabas, quod eſt perſpicuum ex eodem Luca, jampridem ante annum XLIII. conſorti labore ad Chriſtum converterant Cyprios. Ergo Barnabas eo anno LI., ad eoſdem Cyprios reverſus, minus ibi negotii habuit, quàm ut in ea ſolummodo regione perluſtranda, reliquum Apoſtolatus ſui omne tempus inſumeret, contra Apoſtolicum morem, quàquà adinſtar fulgurum, diſcurſandi; dum meſſis multa erat, operarii autem pauci. In tranſitu id quidem, & ſine mora ſtabili, ſe facturum prædixerat Barnabas, teſte ipſo *Luca*, priuſquam Cyprios verſus ex Antiocheno littore ſolveret: *revertentes viſitemus Fratres &c.*: *in quibus prædicavimus verbum Dei, quomodo ſe habeant*.

10 An verò quiſpiam ita fortaſſe opinetur, vixdum appulſa navi, *Barnabam* fuiſſe tam ſubita morte mactatum, ut nihil de ſe memorandum reliquerit, præter funus? At ne funus quidem memorat Lucas, utut celeberrimum ob ingentia miracula, quæ vetuſtiſſimi Scriptores apud Mombritium, Surium, ac Bollandios perhibent.

11 Cer-

11 Certè poſt annum 51., quo Barnabas Cyprum reviſit, plures vixiſſe annos, pluresque concionando luſtraſſe terras nemini dubium eſſe debet. *Sirletus* (*a*) ipſum in terris remoratur ad annum Chriſti 102.: quod niſi abludit a vero, haud credam annos quinquaginta in una Cypro fuiſſe conſumptos. Juxta Ærarum varias, & Epocharum ſupputationes, alii Barnabæ vitam contrahunt ad annum Salutis 64.; quo etiam poſito, ægrè coerceres Apoſtolum ad annos tredecim intra limites unius Inſulæ jampridem ante annum 43. ad Chriſtum converſæ. Qui verò omnium citiſſimè è vivis ipſum tollit, *Daniel Papebrochius* hæc habet fol. 422. *Maneat ergo veroſimilius, mortuum dici anno Æra Julianæ, ſeu Antiochenæ* 102., *qui reſpondet anno vulgaris Ære* 53. Hic tamen calculus triennio rem conſtringens, haud ſatis congruere videtur Divinæ ordinationi, quam venerantur Doctores apud *Jacobum Gordonium* (b), ubi Paulus dicitur *gratiæ Dei traditus* abſceſſiſſe a Barnaba, contrariiſque itineribus procul, & in diverſa abiiſſe; *ut ex eorum ſeparatione Deus eliceret magnum bonum: quod ſatis enituit in Provinciis, ad quas digreſſi ſunt.* Conſortes enim antea, & individuos comites, flans Spiritus Domini impulit, ac Barnabam a Paulo divulſum aſportavit, quò plura ſinguli adirent loca, Chriſtum latiùs deprædicantes. Veruntamen huic numini parùm obſecundat, imò valde adverſatur is, qui vitam *Barnabæ*, tribus definire annis, unàque velit Cypro Evangelicum ipſius curriculum circumſcribere.

Finge verò ne triennium quidem expleſſe: quæſo, recognoſce, quantum terrarum, eodem triennalis ſpatio temporis, *S. Paulus* concionando ſit dimenſus, ipſo *Luca* referente. Ab Antiochena Urbe, dum *Barnabas* navigavit Cyprum, interim *Paulus* in Phrygiam, Galatiæque regionem, intento curſu, Myſiam petiit, ac Troadem. Mox tranſvectum in Macedoniam, Samotraciam, Neapolim, Philippos, carcer ibi, ac vincula retardarunt. Inde Lydiam intraſſe, perambulaſſe Am-

(*a*) *Apud Papebroc. XI. Junii fol.* 421.
(*b*) *In Acta Apoſtolor. Cap.* 5. *v.* 39.

Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, & Athenas: luſtrata Corintho, delatum in Syriam, Epheſum, ac Cæſarèam, longè ibi, latèque Sanctum Chriſti jubar explicaſſe, auctor eſt idem Lucas.

12 Atque hæ ſummatim Paulinæ peregrinationes fuerunt, per triennium illud idem, quo, noſter *Bellada*, ſegnem intra unius Cypri jamdudum ad Chriſtum redactæ fines, *Barnabam* circumagis, & quodam quaſi carcere, inglorium coarctas. Quid! Si ipſum è Cypro negas, trajeciſſe in Italiam, præterquamquod tabulis, teſtibus, ac ratione ſtatim convincam te, tuum eſt probare, tuum digito oſtendere, quænam alia regio *Barnabam*, per eoſdem annos, extra Italiam diſtinuerit. Nobis enim certò favet Traditionis poſſeſſio, quam (ut ſæpiùs inculco, & nunquam ſatis) propter rationem dubiam, deſerere non eſt fas, ne turbetur ſtatus rerum humanarum; nam ſi timendum ſemper eſſet, ne Majores noſtri vel decepti, vel mentiti fuerint, quodam velut æſtu lymphatæ trepidationis, humana omnia nutarent plena turbis. Et præter Traditionem, nobis etiam certò favent antiquiſſima monumenta; de quibus idem ibi Balduinus Junius: *Barnabam in Italiam veniſſe, & in Liguria prædicaſſe, nobiliſſimamque Eccleſiam Mediolanenſem erexiſſe, longe, latèque Chriſti fidem feliciter propagaſſe firmæ traditiones, ejuſdemque Eccleſiæ monumenta complurium Scriptorum teſtimoniis confirmata fidem certam, & indubitatam faciunt.*

13 Ex his monumentis, huc maximè ſpectat illud, quod infrà dabo ad Seculum decimum, ſed eo longè vetuſtius: habetur autem penes *Mombritium* III. Idus Junii ſic: *Hucuſque Beati Barnabæ glorioſum agonem, & veneranda magnalia declarantes ex auctoritate Lucæ Evangeliſtæ, ut prædictum eſt, breviter deflorare curavimus. Sed quia* (adtendat quæſo *Bellada*, cur ad nos Inſubres excurſum Barnabæ reticeat Sanctus Evangeliſta) *ſed quia idem Lucas ſequendo Beatum Paulum Apoſtolum, S. Barnabæ finem videre non potuit, cætera, quæ ſequuntur in aliis Actibus autenticis, reperiuntur.*

Hinc diſerto calamo proſequitur Barnabæ, & Anathalonis Itali-

Italicam profectionem , de qua nemo ante *Belladam* , aut *Speltam* dubitavit unquam . Quotquot enim anteà ſcripſere de Originibus Eccleſiæ Mediolanenſis , aliarumque finitimarum , qui plures trecentis enumerantur , eas ad Apoſtolum Barnabam unanimes referunt auctorem .

14 Cæterùm ſi cum *Bellada* , velis expectari teſtimonium *Lucæ* , actum eſt de *Syro* , in quo , ceu *Petri* diſcipulo , ſuoq; Ticinenſes primo Antiſtite gloriantur : actum de *Anathalone* Barnabæ ipſius conſectaneo ; qui apud ipſum Evangeliſtam ſilentio premitur altiore : actum etiam eſſet de *Cajo* , *Caſtritiano* , *Calimerio* , *Mona* , de quibus ſacri æquè , ac profani omnes primorum Seculorum Scriptores ſilent ; quin imo etiam ſilent illi ipſi dubiæ fidei Auctores *Clemens* , *Hippolytus* , *Dorothæus* , qui Barnabam pro certo Eccleſiæ noſtræ conditorem tradunt .

CAP. III.

BACCHINO refellimus primam ex Actis SS. Fauſtini, & Jovitæ, *nec non SS.* Syri, & Juventii *deductam rationem.*

1 SEd ea ipſa, quæ nos velut abſurda, mox arguebamus, deglutiri jubet Bacchinus Abbas plenus auctoritate Vir. Namque *Part. 2. Eccl. Hierarch. num.* 9., ſubdubitat, num primævi ſaltem quatuor Mediolani Protomyſtæ, Barnabas, Anathalo, Cajus, Caſtritianus ita delendi ſint è Pontificali Catalogo, ut hunc ordiri debeamus ab Calimerio, quintum inibi locum obtinente. *Quid enim*, inquit, *de Mediolanenſis Eccleſiæ initiis ſtatuendum, ſi Actis Sanctorum* Fauſtini, & Jovitæ *fidem habemus*? *Narratur*, *quod* Calimerii *cujuſdam -- fidem Beati Martyres explorantes, permiſſi a Cuſtodibus petierunt a Summo Pontifice, qui eo tempore ad catacumbas morabatur, ut* Calimerio *Epiſcoporum honorem traderet, eumque ad Mediolanenſem Populum, qui jam in Chriſto crediderat, confortandum dirigeret, quod eſt factum --. Paſſi dicuntur Sancti Martyres Adriano imperante. His ita ſtantibus, ſi veritatem amamus, res eò deducitur, ut incerta omnino ea ſint, quæ tanto aſſenſu de fundata per* Barnabam *Mediolanenſi Eccleſia circumferuntur.*

2 Hæc itaque ſi audimus, non modo Barnabas, ſed ipſum quoque ſubſecuti Anathalo, Cajus, Caſtritianus, verendum eſt, ne Mediolani Præſules nunquam fuerint. At ubinam, rogo, verſati extra hanc Urbem fuere? Quid egère aliud, quo cœlum mererentur tres iſti Indigetes, ſi in dubium vocatur Mediolanenſis eorundem Præſulatus? Hercle ex Romano Martyrologio, atque aliis queiſcunque Scriptoribus unum hoc ſcitur, eos Mediolani Præſules fuiſſe, præterea nihil. Certiſſimum autem eſt, alicubi in terris degiſſe, qui relati ad Superos coluntur ſacris ſolemnibus; impium enim

enim eſſet opinari inania ipſorum vocabula, credulæque ludibria vetuſtatis, ceu nunquam extiterint in natura rerum, ſimul ex albo Epiſcoporum, atque è numero viventium eradenda. Hoc ne *Bacchinus* quidem dixerit; ſed tamen eſt id ipſum, quod Bacchinianam hæſitationem ſequitur abſurdiſſimum. Nam quicquid eſt Caſtritiani, Caji, Anathalonis vita, prout a Scriptoribus traditur, in ipſo continetur, atque convolvitur Mediolanenſi eorundem Pontificatu, de quo ſi dubitas, quid ſcias aliud? Quoniam ergo perneceſſarium eſt credere, eos alicubi vixiſſe, licèt ubinam vixerint, incompertum apud Scriptores eſſet; quanto magis in hac Urbe degiſſe credendi ſunt, cum id unum tantummodo apud Authores conſtet? Quid! Si tacitis etiam Scriptoribus credere oporteat; cur non credas tam disertè loquentibus? Si negas; doce, ubinam extra Mediolanum exegerint totius vitæ curſum. Quandiu hoc non evincas, ſtet Mediolanenſium certa poſſeſſio, qui Romano etiam Martyrologio nixi, tres hoſce, inter primævos Eccleſiæ ſuæ Antiſtites, colunt.

3 Quod ſi (hoc altè animis inſculptum velim) Anathalonem, Cajum, Caſtritianum, alioſve è catalogo expungere audet nemo, ne tota, ſubductis fundamentis, Eccleſiæ hiſtoria in cæcum ruat chaos; multominus audeas *Barnabam*. Huic enim adſtipulantur monumenta, quæ ſubinde exponam, antiquiſſima; imò ex toto numero Hiſtoricorum, nemo eſt unus, qui ſi modo attingat origines Eccleſiæ noſtræ, non eas Barnabæ referat auctori. E contra verò, qui Anathalonem, Cajum, Caſtritianum, Calimerium, Monam, atque alios ſcribunt Eccleſiæ eidem præfuiſſe, multò pauciſſimi ſunt, multoque recentiſſimi; ſi qui verò ſatis antiqui videntur, iidem priùs Barnabam ſignant Mediolani Præſulem, quàm Anathalonem, quàm Cajum, & alios; quo fit, ut ex auctoritate Scriptorum, vel Barnabas retinendus ſit in Catalogo, vel omnes ii potiori jure ſint amovendi, totamque ſimul Sacram Hiſtoriam verti ſuſdeque oporteat.

4 Ergo dubitatio *Bacchini* de tribus Barnabam ſubſecutis Epiſcopis, oritur perneceſſariò ex ejuſdem prævia dubitatione

de adventu Barnabæ ad hanc Urbem. Quiſquis enim de hoc dubitat, minimè fidens tam multis, graviſſimiſque Scriptoribus, certè multo magis trepidet neceſſe eſt ejuſdem fides de adventu Anathalonis, Caji, Caſtritiani, de quo longè pauciores, ac minus antiqui Scriptores ſunt. Hanc igitur ſi diluam formidinis partem; tum alia, quæ *Barnabam* afficit multo leviſſima, ſtatim evaneſcat.

5 Scitatur igitur Clariſſimus Abbas, ſi Acta accipimus ea Fauſtini, ac Jovitæ, quid de initiis Epiſcopii Mediolanenſis decernendum videatur? Quidni ea ſtatuimus ſub Calimerio, de quo canit Hymnus: *Græcis ab oris profugus, ut ſede tuta ſiſteret, Romæ Sacrorum Principem hoſpes rogat Teleſphorum?*

6 At huic Hymno diſcrepant Acta eadem Fauſtino--Jovitana, queis *Bacchinus* ipſe trepidam habet fidem. Quantum eſt in iis, mediusfidius de *Calimerio* plus ambigam, quàm de Barnaba, atque aliis. Dicuntur paſſi Martyres ſub Adriano, cujus mors biennio antevertit Pontificatum Teleſphori Sedem ingreſſi anno 140.; qui propterea ab iiſdem rogari Martyribus non potuit, ut Calimerium nondum è Græcia Romam profugum, ipſe Teleſphorus necdum Pontifex Epiſcopum crearet, atque ad Mediolanenſes confortandos dirigeret.

7 Sin autem cum *Pagio* mavis Telesphorum anno 126.; aut cum *Baronio* 128. Sedem iniiſſe; falſum nihilominus ſemper eſt, miſſum ab eo ad hanc Urbem fuiſſe Calimerium, ita ſuadentibus Fauſtino, & Jovita, qui jam functi martyrio fuerant anno circiter 117., ut notant *Bollandii* IV. Januarii. Præterea quum eorundem firmior Bollandiorum opinio ferat, Fauſtinum, & Jovitam, ſedente Evariſto, cecidiſſe prædicto anno 117., vide, in quantum ævi protrahas Calimerii epocham. Nam quum ipſius exitum ſtatuat Papebrochius in *Exegeſi* ad annum 191., ſi velis initium deducere ex ante eorundem Pugilum mortem, expleſſet Calimerii Pontificatus annos 74., quod eſt contra communes tabulas. Ea certè miſſio Calimerii ad Mediolanenſes, velut tum recens Chriſtum amplexos, deeſt Actis omnibus Fauſtini, ac Jovitæ apud

eoſdem

eoſdem Bollandiſtas, id eſſe additamentum ratos Codici Suriano ab recentioribus factum.

8 Quoniam ergo ejuſmodi Actorum fides, quam & infrà penitus infringam, tantopere nutat; jam tuis te, Abbas Doctiſſime, verbis compello: *Quid de Mediolanenſis Eccleſiæ initiis ſtatuendum*? Num tibi regredi a Calimero placet ad Caſtritianum, Cajum, Anathalonem? Eccur non etiam ad Barnabam, cui ab Scriptoribus uni hæc initia tribuuntur, præterea nemini? Sin mavis infra Calimerium deſcendere ad Monam, Maternum, alioſve, aut in ipſo Calimerio ſiſtere, præterquamquod & hunc, & poſteriores urget eadem Scriptorum vis, & multo major etiam, quàm primos; certè quantacumque polleas exiſtimatione, nulli ſuaſeris contra fidem, traditionemque omnium, tam ſerò natam eſſe Eccleſiam Mediolanenſem, aut Epiſcopali præditam honore tam ſerò tantam Urbem.

9 Tommaxinus de Vetere, ac Nova Eccleſiæ diſciplina Tom. 1. Part. 1. Lib. 1. Cap. 3., docet, *Apoſtolos, Apoſtolicoſque Verbi Dei præcones a celeberrimis Romani Imperii Urbibus, prædicandi initium feciſſe*. Antonius Paulutius Juriſprud. Sacra Tom. 1. Tract. 2. Cap. 12. num. 3. *Proſpexerunt*, inquit, *Apoſtoli in ponendis Eccleſiæ fundamentis ad Urbium præſtantiam, unde, tanquam ex eminenti loco, lux Evangelica poſſet extendi*.

His calculum adponit Carolus a Baſilica Petri de Metropol. Mediol. pag. 35. *Negari non poteſt, Domini providentià initio eveniſſe, ut præſtantiores Evangelii prædicatores ad præſtantiora quoque mitterentur loca. Nam neque loca omnia ſubito adire poterant Apoſtoli, & quæ prima eſſent, ea primò adire, ad auctoritatem firmius, & ad propagationem expeditius erat. Itaque tum in Oriente, tum in Occidente videmus, quæ Urbes capita fuerant, eas ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris inſtitutas*: idquod fusè apud eundem Scriptorem, illuſtrant S. Leonis ad Athanaſium litteræ.

10 Dudum ante ortum Chriſti, quanta Mediolanum eſſet Urbs, ex Plutarco didici in Marcum Marcellum. *Victor Marcellus revertitur ad Collegam Cornelium, cui bellum gerenti ad*

Urbem

Vrbem Galliæ maximam, ac frequentiſſimam (Mediolanum vocant) malè res cedebat. Hanc Galli Ciſalpini pro capite habent; quare pro ea acriter propugnantes non tam obſidebantur, quàm obſidebant Cornelium. Poſt innumeras hinc inde editas clades (quarum haud minima ea fuit, quum uno prælio ad Novocomum, quinque ſupra triginta Inſubrum millia cecidere) Urbem hanc Romanus Græciæ, Macedoniæ, Aſiæque jam victor ſubegit tandem beneficentià magis, quàm vi, ac tantopere ſibi devinxit, ut quæ pridem æmula Romæ fuerat, æquatis paulatim honoribus, ROMA ALTERA demum appellata, atque habita ſit. Jamverò credat hoc aliquis? Primo ſtatim Seculo in remotiſſimas oras, Apoſtolicæ expeditiones factæ: tellus ferè omnis Evangelio perſonabat: unam hanc, quæ flos Italiæ eſſet, Ciſalpinam Galliam, Urbemque Galliæ principem, ipſi adhærentem lateri Romanæ Protomatris Eccleſiæ, neglexerit Apoſtolorum Princeps tum Romæ ſedens? Vide, recognoſce ad annum 46., quot Eruditiſſimus *Baronius* ab uno recenſeat Apoſtolo Petro ex Romana Arce in Italiam, imò in Occidentem omnem adlegatos per ea tempora Concionatores, & Epiſcopos. „ Quinam fuerint, qui diverſis „ temporibus ad diverſas inſtituendas Eccleſias a Petro ſunt „ miſſi Diſcipuli, & ordinati Epiſcopi, licèt SCRIPTORUM „ INOPIA', penè obſcurum remanſerit; aliquos tamen, quos „ recenſitos invenimus, hic enumerare voluimus. Habuit a „ Petro inſtitutos Epiſcopos, Sicilia Pancratium, Marcianum, „ Beryllum, & Philippum: Capua Priſcum: Neapolis Aſprenen, aliter Aſprenatem: Terracina Epaphroditum: Æquicolæ populi Marcum, alium tamen ab Evangeliſta: Ptolomæum Nepe: Romulum Feſulæ: Paulinum Luca: Ravenna „ Apollinarem: Verona Euproprium: Patavium Proſdocimum: Ticinum Syrum: Aquilea poſt Marcum, Hermagoram. In Galliis Lemovicenſes, Tholoſani, & Burdegalenſes Martialem: Tungrenſes, Colonienſes, & Treverenſes „ Maternum, nec non Valerium: Rhemenſes Sixtum: Arelatenſes Trophimum: Senonenſes Sabinianum: Cænomanenſes „ Julianum: Vienna, & Maguntia Creſcentem, Catalaunum, „ Mem-

„ Memmium: Bituricenſes Urſinum : Avernenſes Auſtremo-
„ nium : Sanctonenſes Eutropium : Germania Eucharium,
„ Egiſtum, & Marcianum : Hiſpania Torquatum, Creſiphon-
„ tem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Eu-
„ phratium, & alios. „ Hactenus ex Baronio.

11 De unis igitur Mediolanenſibus, quorum tanta alioquì celebritas erat, nihil prorſus cogitarit, nihil providerit Summus ille Orthodoxæ Eccleſiæ Pater? Baronio conſentit in iiſdem ferme verbis *Balduinus Junius* Chron. Moral. ad Ann. 46. *Hoc anno C. Criſpino ſecundùm, & Statilio Tauro Conſulibus, ſtabilita jam Sede Romana, Petrus Apoſtolus, cui univerſi gregis cura a Domino erat commiſſa, ad cæteras Occidentalis partes Orbis admovens oculos, ut apud omnes prædicatio Evangelica eluceſceret, Diſcipulos, quos habebat, in diverſas partes amandavit. Habuit enim a Petro &c.* Pergit hinc eandem retexere Præſulum, ac Concionatorum catalogiam, quos a Petro miſſos latè per Italiam, & extra ipſam enumerabat Cardinalis Baronius, nulla uſquam de Mediolanenſibus mentione facta. Tu ne fieri potuiſſe credas, ut neque primitivo illi in terris Chriſti Vicario, maximoque Apoſtolicarum expeditionum directori Petro, neque ſubinde Romanis quatuor Præſulibus, qui *Evariſtum*, aut octo, qui *Teleſphorum* anteceſſere, ulla unquam, de hac florentiſſima Italiæ Urbe, cura pupugerit cor? Ædepol Mediolano ſi Papiam conferas, quum ea nondum Langobardicum oleret decus, Romæ Ravennam contuleris, necdum Gothicum pus olentem. Papienſibus tamen ilicet datum a Petro Syrum fuiſſe, docet *Baronius* anno 46., & mordicus tenet *Spelta*, neque diffitemur nos, niſi nos cogat vis argumenti *a comparatione majorum*; dum primum Mediolano Protomyſtam, Bacchinus vix fortaſſe concedit anno 138., quem Calimerio initialem fiximus ex auctoritate *Papebrochii*.

12 Hæc ratio pervelim altiùs invadat animos quorundam, quos non iſta modò Bacchiniana ſuſpicio, ſed alia quæque novitas tranſverſim fert contra ſacroſanctas Patriæ, Eccleſiæque Traditiones. Augeo, & inculco idem argumentum.

Quid

Quid enim Syrum Papienſem dumtaxat memorem? Referente *Dionyſio de Rives* pag. 459. ſtatim prima inter Evangelii præconia, a Divo Petro ſuum accepere Antiſtitem *Æquicolæ*, *Ariminenſes*, *Aſſiſſienſes* in Umbria, *Atíni*, *Bononienſes*, *Ceſenati*, *Capuani*, *Eséni*, *Florentini*, *Ferrarienſes*, *Feſulani*, *Lucani*, *Mantuani*, *Mutinenſes*, *Nepeſini*, *Nuceriani*, *Papienſes*, *Parmenſes*, *Patavíni*, *Pennenſes*, *Perusíni*, *Placentíni*, *Ravennates*, *Reatíni*, *Reginenſes*, *Senogalli*, *Siculi*, *Spoletani*, *Terracinenſes*, *Tolentini*, *Veronenſes*, *Volaterrani*, atque alii per inopiam Scriptorum, ignoti adhuc. Neque dumtaxat complexus Italiam ſuà providentià eſt primus ille Orthodoxæ Eccleſiæ Pater. Longè ultra Alpes latèque proſpiciens Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæque, Epiſcopos in nobilioribus locis deſiderari non eſt paſſus. Credaſne, ſi tum Mediolano maximæ in Italia poſt Romanam, opulentiſſimæque Urbi defuiſſet Epiſcopus, hanc tanti rem momenti providentiſſimum Petri numen ſegniter fuiſſe laturum?

Sed, eſto, Mediolanum neglexerit is, qui Papiam Mediolano proximam, longèque minorem Urbem non neglexit; eo enim tempore, ut ajebam, nondum Langobardico Regno adaucta, multoque tenuior Papienſis erat Urbs, quàm in præſentiarum ſit; eam enim *Civitatulam*, *anguſtum Oppidum* appellabat S. Ennodius in vita S. Epiphanii. Mediolanum verò, quam *præcipuam Inſubrum Civitatem* dixit Polybius Lib. 2., ita civium multitudine, opibuſque præpollebat, ut quum hodierno cenſu vix capita numerentur centies mille, una tum *Vitigetis* internecione, tercenta millia perierint. Finge tamen, ut lubet, hanc tantam Metropolim oculatiſſimo Apoſtolorum Principi in Italia verſanti inauditam fuiſſe, vel in poſtremis habitam. Eamne editis etiam Martyrum ſive noſtratum, ſive alienigenarum magnis certaminibus famoſam, multoque Chriſtifidelium ubere fœcundam ignoraverint, floccique fecerint ſeptem ſubinde alii Catholicæ ejuſdem Eccleſiæ Præſides *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Anacletus*, *Evariſtus*, *Alexander*, *Sixtus*, quos Romana Sedes habuit ante annum 138., quo primùm anno Calimerius ad hanc Sedem venit, jamdudum

dum Italiâ Epiſcopis redundante, ſicut ex Epiſcopalibus Italicarum Urbium catalogis conſtat; niſi quis eos velit omnes, ceu commentitios, novo Diocletiani edicto, flammis addicere? Hæc non incredibilia modo videntur, ac falſa, ſed prodigiis etiam ſimillima.

14 Ex Actis Eruditorum Lipſiæ an. 1691. pag. 256. (damnatos Scriptores calamo attingam fugiente) *licèt Alixius* ille heterodoxus de more ſuo expectans veteris Scripturæ teſtimonium, ſententiam ſuſpendat; *attamen cum Mediolanum jamtum primiceria iſtis in oris Civitas habita, & verè Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ſolemne fuerit, Evangelium in Metropoli* (ſive excellentia quadam, ſive juri dicundo; nec enim vacat hoc loco diſcutere omnia, Metropoles eæ forent) *cujuſvis Regionis primariò prædicare, quò deinde faciliùs in circumſita loca ſe diffunderet. Hinc Allixius conjicit, aut eoſdem doctrinæ Chriſtianæ præcones, qui ex Græcia ad Gallos convertendos appulerint, Mediolanenſem quoque Eccleſiam plantaſſe, ùt quæ èt ipſa ad Galliam Ciſalpinam ſpectet, aut certè emiſſarios Petri, ac Pauli diſcipulos, qui Civitates Romæ proximas ſub Evangelii ditionem redegerint, haſce ſuas victorias etiam Mediolanum uſque detuliſſe.*

15 Ab Alixiana hac ancipiti ſententia, haud multum aberrrat *Cavæus*. Unus Cenſor noſter Bacchinus utvis Catholicus, ac plane ſapiens, crepundia Eccleſiæ Mediolanenſis putat forſitan retardanda uſque in ævum Teleſphori Papæ, vel Evariſti a Fauſtino, ac Jovitâ commoniti, *ut Mediolanenſi Populo, qui jam in Chriſto crediderat*, Calimerium Pontificem daret. Haud ego ſcitiſſimum Abbatem rogando urgeam, quonam modo Populus crediderat abſque prædicante, aut quis Calimerio proximior prædicaſſet, præter Caſtritianum, aut Cajum, aut Anathalonem, quorum quiſquis detur, contra Bacchinum redit. Dixeris ne, quod ne ipſe quidem dixit, Evangelicam prædicationem Mediolani cœpiſſe a S. Nazario, aut Gervaſio, Protaſioque, quos ad ſanguinem in hac palæſtra pro Chriſto decertaſſe ſcimus omnes, fusèque edocemur ex Petro Damiani *Opuſc. V. Actus Mediol. fol.* 34.?

At Prothaſium, fratremque ejus baptizatos ab Cajo Epiſcopo fuiſse, qui tertius ante Calimerium ſedit, tenent omnes ex communi Traditione, Bacchino priùs expugnandâ, quàm cætera evincat. Nazarium verò coronatum martyrio ante annum 68. tradunt Bollandii Sodales, in Actis Sanctorum 28. Julii fol. 523. per hæc verba. *Tempus martyrii Nazariani ab omnibus ponitur ſub Nerone, qui violentas ſibi intulit manus, Chriſti anno* 68. Finge verò Chriſtianum Mediolani exortum gregem ab Nazario fuiſſe. Quis mihi ſuadeat abſque Paſtore vivere in ævum uſque Calimerii potuiſſe, qui gregis ejuſdem regimen ſumpſit haud ocyus anno 138., ſeu etiam aliquantò ſerius? nam, ut dixi, Papebrochius in Exegèſi pro certo adfigit ejus obitum anno ſalutis 191. Incredibile eſt Nazarianos Chriſticolas tandiu ſine Epiſcopo viguiſſe, ſpatio ſcilicet annorum ſaltem ſeptuaginta; tot enim interfluxere mortem Nazarii, atque initam Calimerio Sedem.

16 *Ordines* autem *Mediolanenſis Cleri a S. Syro Ticinenſi conſtitutos fuiſſe*, licèt de hoc ſileant Acta Mombriciniana, & in Surianis ipſi quoque Bacchino ſuſpectis, *Papiæ* nomen apud doctos prodat Auctoris ætatem, ad inferiora Luitprandi tempora retrahendam; ego tamen, quod dat Bacchinus, lubenter accipio, atque aſſero non potuiſſe credibiliter fieri, ut Clerus ab Syro, Mediolani primo Seculo conſtitutus, in tantum ævi perdurarit abſque Antiſtite, quin unquam ſupplicem vocem emiſerit ad Apoſtolicam Sedem, ut ſi cui per Italiam Civitati Epiſcopum dediſſet, Mediolanenſi omnium maximæ poſt Romanam, non negaret. Quid? Somnietur ne fortaſſe quiſquam id, quod ſubaudire videor ex Bacchino, Clerum Mediolanenſem, per ea tempora ab Ticinenſi Epiſcopo fuiſſe directum? Ad hoc quidem ſpectare videntur Acta illa Syri, callido aſtu ſub Langobardis compacta, vel interpolata; dum ea Regum Statio attollere in Metropolim animos cœpit. Daniel Papebrochius XIX. Junii fol. 830.: *in medio*, inquit, *relinquo, an verum ſit, quæ Vitæ Sancti Syri Scriptor recitat*. Et infra. *Vita Sancti Syri parùm certa &c., quia manifeſtè falſa ſunt*. Multa demum aggerit, ac ſugillat

idem

idem Cenſor male cohærentia, & inepte pugnantia, queis ſubleſta eorundem coarguitur Actorum fides.

17 Ecquinam, rogo, apud Ticinenſem finguntur Epiſcopi, qui ea tempeſtate Mediolanenſem quoque Eccleſiam curarent? Ante Leónem Papam, qui fato ceſſit anno 461., Mediolanum viginti Epiſcopos numerat: Papia vix quatuor; qui cum in prima tempora compinguntur omnes, poſteriora neceſſe eſt priventur Epiſcopo; præſertim quòd Syrus, Evantius, vel Juventius, ac Pompejus condiſcipuli prope ſimul ita vixerint, ut unius ſit Urſicini vita in quadringentos, propè annos perneceſſario diſtrahenda.

Ticinenſes, verba ſunt Doctiſſimi a Baſilica Petri Hiſt. Eccl. Mediol., *ante Criſpinum primum, quem ſub Leone Pontifice fuiſſe certum eſt, ùt ex Epiſtola ſynodica ad ipſum, Syrum tantummodo cum Juventio, & Pompejo ejus diſcipulis, & Urſicinum ponunt. Igitur quatuor Epiſcopos ſolùm habuerunt annis amplius* 450.; *quos omnes cum ad prima Eccleſiæ tempora referunt, reliquis Seculis Eccleſiam Epiſcopo ſpoliant. Neque putet quis Criſpinum ſecundum Leonis tempore fuiſſe, ſed primum; nam Epiphanius, Maximus, & Enodius ante Criſpinum alterum fuerunt, ùt etiam Ticinenſes ſcribunt: & iidem tamen fuere poſt Leonis tempus.* Hæc domi ſuæ cogitet Spelta.

18 Ea nec abnuerim, quæ tradit Paulus Diaconus *De Epiſcopis Metenſ. Eccle.*, inquiens: S. *Petrus Apollinarem Ravennam, Lucium Brunduſium, Anatolium Mediolanum miſit.* Miſſum intellige, uti Barnabæ ſubſidiarium, non ùt Antiſtitem; eaque propter Anatholius, ſive Anathalo, inter Epiſcopos a Petro ordinatos minimè accenſetur apud Baronium, quem haud fugerat iſte locus Pauli Diaconi. Sive tamen ab Petro, ſive a Barnaba pedum Mediolanenſe capeſſiverit ille (quiſquis tandem fuerit) Anatholius, in hoc ipſo frangitur Bacchiniana ſuſpicio fortè detrudens incunabula Eccleſiæ, vel Epiſcopatus Mediolanenſis, in ævum uſque Calimerii.

19 Prætermitto libellum M. S. in Bibliotheca Vaticana tit. *Succeſſores S. Barnabæ*; ubi duo illi nobili genere Brixienſes Fauſtinus Presbyter, ac Jovita Diaconus dicuntur Mediolanum

adducti; qua in Urbe Calimerii hortatu jam Epiſcopi, alacriores ad Martyrium ſumpſerint animos: quæ ſi vera ſunt, Bacchini fundamentum ruit prorſus. Prætereo, quæ habentur in ejus Lectione: *Calimerius Mediolanum venit; ubi a B. Caſtritiano Epiſcopo benignè exceptus, Baſilicæ Fauſtinianæ Clero adſcribitur*. Quid plura? Hæc Calimerio afficta laus, quod fortaſſis Cathedram Mediolanenſem erexerit ipſe primus, prodigii magni inſtar eſt. Ne Allixius quidem, aut Spelta, imò nec ante Bacchinum ullus, neque poſt ipſum, commentus eſt tale quicquam. Nulla traditio hac de re: nulla ſcriptura vetus, aut nova apparet uſpiam; quinimo & Traditiones, & Scripturæ ſuſdeque jactantur omnes novo hoc commento inaudito, incredibili. Nil hujuſmodi eruitur ex Enodio, qui cæteroquì longa exornat inſcriptione Calimerii templum: nihil ex Hagiologio, Miſſali, Breviario: nihil ex æneis, lapideis tabulis, quas teſtatur ſibi inſpectas *Federicus Borromæus*, dum Corpus Calimerii ritè recognitum, ſolemniùs transferret (a): nihil ex monumentis tandem queiſcunque a *Sollerio* congeſtis in Acta Sanctorum ad diem 31. Julii fol. 173.. Quæ quidem monumenta, & elogia declarant, Sanctum Calimerium Caſtritiano ſucceſſiſſe in regimine Eccleſiæ, eandemque examplificaſſe multis partibus; neutiquam tamen jeciſſe ejus fundamenta, aut primum Epiſcopale in ea munus geſſiſſe. Calchus non exigui auctor nominis ad annum 140. *Decennio*, inquit, *anteà Calimerius Mediolanum venerat; & a Caſtritiano receptus inter Clericos Ædis Fauſtæ, ad eam doctrinæ, & integritatis opinionem pervenit, ut in defuncti Caſtritiani locum ſubrogaretur*.

20 Ratio pro cardine tenenda hæc eſt omnino. Quiſquis ille tandem fuerit, aliquis proculdubio Eccleſiæ noſtræ primus Conditor eſſe debuit. Hanc verò primi Conditoris laudem nullus Scriptor ulli unquam attribuit, præterquam Barnabæ. Traditio, fama, fides uni huic militat, præterea nemini. Ergo aut nullus Conditor fuiſſe dicendus eſt, quod ſanus profectò nemo dixerit: aut iſta laus uni eſt omnino Bar-

(a) *Ughel. T. 4. in S. Calim.*

Barnabæ relinquenda. Atque ut loquar ex animo, ſi Traditiones eſſent variæ, aut ſubobſcuræ: ſi Scriptores in diverſa abirent ita, ut partim Barnabæ, partim Calimerio, aut alteri cuipiam faverent; ſtandum pro Barnaba nihiloſecius videretur, cui (ut mox oſtendam) longè antiquiſſima Traditio favet, & auctoritas multò validiſſima. Quoniam verò ex Scriptoribus univerſis nemo eſt unus, præter Bacchinum, qui retrahendam ſuſpicetur originem Eccleſiæ noſtræ uſque ad Calimerii tempus; in ea verò adſcribenda Apoſtolo Barnabæ, Traditiones, & Scripturæ quotquot extant veteres, ac novæ, conſonent univerſæ; quid eſt, quod quemquam veritatis amatorem a communi ſententia, ab antiquiſſima, receptiſſimaque apud omnes ætates, ac nationes, ut infra liquebit, Patrum Traditione cogat abſcedere? His demum verbis eandem cauſſam perorabat Bonaventura Caſtilionæus loc. cit. *Stando adonque tanti ſondamenti, e principalmente che negar non ſi può, che Anathalone Greco, & Cajo Romano furono Diſcepoli di Santo Barnabà, & quelli medeſimi Veſcovi di Milano, chi puottrà con ſegno di ragione metter dubbio, nè pur turbidare tanta chiarezza di verità, eccetto che alchune delle vicine Città, quali ſono emule, per non dir invidioſe alla grandezza di Milano?*

CAP.

CAP. IV.

Prodit Codex M.S. cujuſdam Vercellenſis Anonymi, quo validè impugnantur prælibata S. Syri Acta perperam aſſerentia Clerum, & Eccleſiam Mediolanenſem, aliaſque finitimas ab eodem Syro inſtitutas; atque adeo in origine Ticinenſem fuiſſe protomatricem Eccleſiarum in tota Mediolani Provincia ferè omnium.

1 E Pluteo jam hæc dimiſeram ad amanuenſes; quum fortè mihi fortuna ad manus venit ex *Bibli. Ambroſ. f. E.* 673. pugillaris quidam calamo recentiore exaratus Codex; cujus Auctor Eccleſiam Vercellenſem paſſim appellat ſuam; nuſquam ſuum nomen aperit; quod nec mihi in præſentiarum vacat inquirere. Totum opus pagellulis octo definitur italicè ſcriptis; quas nunc latinè reddere mens eſt, preſſiore ſtylo. Titulus iſte eminet in fronte: *Diſſertatio contra Speltam; qua oſtenditur S. Syrus Ticinenſis minimè fuiſſe Petro Apoſtolo, vel Hermagoræ coævus.* Quo ſub titulo depugnatur èt contra Bacchinum tunc necdum fortaſſe natum, ſed futurum Speltæ aſſeclam; totus enim eſt Vercellenſis iſte Auctor, in refellendis S. Syri Actis ab Ticinenſi quopiam, vel ſuffartis, vel interpolatis, datâ ad id operâ, ut credibile fiat, Clerum Mediolanenſem minimè fuiſſe ab Apoſtolo Barnaba, ſed a Syro Petri diſcipulo, eodemque Ticini Pontifice ordinatum; ex quo facilè ductari queat ratio ad ea, quæ tum Papienſes, Langobardico jam elati faſtigio ſub an. 681. contra S. Benedictum Mediolani Metropolitam intenderent, negantes ad eum ſpectare

jus

jus ordinandi Ticinenſis Myſtæ ; qua de re agam infrà ex auctoritate Landulfi. Certè Bacchinus ipſe valde acri telo eorundem Actorum, in nos conſurgit ſic. *Acta S. Syri &c. circa Pauli Diaconi tempora*, *conſcripta* (nempe poſt dictum annum 681.) *omnia Mediolani ordinata, Clerumque diſpoſitum dicunt, Sancti Syri operâ*; quibus èt ipſe verbis ſtudet Bacchinus oſtendere, nullos, ante Calimerium, ſediſſe Mediolani Præſules, omnia utrobique Syro, ejuſve ſucceſſore Juventio moderantibus.

Prælibatus itaque Auctor Anonymus, inania hæc fundamenta everſurus ita exorditur. „ Legerat *Spelta*, quæ „ tum recens prodierant ex *Baſilica Petri*, Novarienſi Epiſ„ copo ſcitè, eruditèque compoſita adverſus Ticinenſes: „ primum ſcilicet eorum Antiſtitem perperam adfingi Sy„ rum Petri Apoſtoli, vel Hermagoræ diſcipulum; qui cum „ tribus aliis, explentibus quatuor ſecula Epiſcopis (neque „ enim plures accenſeri queunt) dum compellitur in pri„ mam ætatem; poſtmodum Eccleſia Ticinenſis Epiſcopo „ viduetur oportet ad trecentos, & ultra annos. Hæc „ animadvertens *Beneventano* etiam, & *Gualla* confirmari „ in Sanctuario Papiæ, diu nequicquam eluctatus *Spelta*, „ hanc demum inde evadendi ſemitam excogitavit, ut Criſ„ pinos ingeminaret, aliosque commentus Epiſcopos explen„ dis lacunis, & interpontificiis immanibus aggereret, at ſine „ teſtibus, tabuliſque. Ut autem recriminetur, infit, ab ini„ tio Eccleſiam Ticinenſem jus dixiſſe Mediolanenſi; addit„ que Caſtritianum fuiſſe primum, qui Mediolani aliquid „ obiret munium ſacrorum; cæterùm Anathalonem ita de„ lituiſſe, ut nullas ageret partes Epiſcopi. Denique fol. 30., „ negat Barnabam unquam Mediolanum adſpexiſſe, primoſ„ que ait Mediolanenſium Cives a Sancto Juventio Tici„ nenſi ad Chriſtum converſos.

„ Ego verò, qui in re præſertim hiſtorica ægrè pa„ tior tam pugnantia, ac manifeſta mendacia, Beſcaperii „ theſim reaſſumo, atque ajo, Syrum falsò adſcribi Her„ magoræ diſcipulis, at verò verius ad Seculum quartum,

„ quo

„ quo S. Euſebius Vercellarum Antiſtes enituit, eſſe retrahendum; fuit enim Syrus Ticinenſis, ejuſdem Euſebii Diaconus; quod legere eſt in iſtius epiſtolis ad annum 356. apud Baronium: *præſentiâ charorum noſtrorum Syri Diaconi, & Victorini Exorciſtæ*: & infra. *Sed èt conceſſit mihi Dominus hanc Epiſtolam per chariſſimum noſtrum ad vos Syrum Diaconum mittere*. Planè idem Syrus poſtea Ticinenſium Epiſcopus ex iis fuit, de quibus S. Ambroſius *Epiſt.* 82. *ad Vercell.*, Civitates inquit Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarum ex ampliſſima Euſebii ſchola Epiſcopos habuiſſe: & in *Epiſt.* 69. aſſerit eoſdem ferè omnes Euſebianos aſſeclas fuiſſe vel Epiſcopos, vel Martyres. Hinc factum reor, ut in Euſebiano item Breviario exſtet Officium Sancti Syri Ticinenſis; de quo non minùs, quàm de Honorato, Limenio, aliiſque Vercellenſibus, utpote ex eadem Euſebii diſciplina profecto, recitabatur Capitulum proprium: *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex*.

„ Nec temere Papienſes autumant ordinatum ab Syro Mediolani Clerum; qua in Urbe per idem tempus, intruſo Auxentio Arianorum Pſeudomyſtâ, Catholici regebantur ab Evagrio Antiochéno S. Euſebii diſcipulo, ùt ſcribit Hieronymus in calce epiſtolæ *de muliere ſepties icta*, & ab Seréno, ùt habet Vita S. Euſebii M. S.: Vercellæ ab Limenio tenebantur: Novaria ab Gaudentio, non quidem Epiſcopis, ſed Vicariis. Quamobrem perneceſſe fuerit, Syrum viciniorem ordinaſſe Clericos non Mediolani modò, ſed èt Vercellis, Novariæque; cui proinde velut proprio Antiſtiti congrueret Capitulum peculiare noſtrorum Antiſtitum: *talis decebat* &c.

„ Ne verò fidem habeam, ubi Syrus dicitur Petro contemporaneus, vel Hermagoræ, multa me abſterrent abſurda, quæ ex ejuſdem Vita M. S. in Archivo noſtro Vercellenſi ſcatent. Et primùm ea tanta libertas concionandi, tantique plauſus, queis excipiebatur Syrus apud impium Mediolani Præſidem, abs quo tamen vetitus Ticinum regredi, ſpreto audacter mandato, non ipſam modo Urbem,

ſed

„ ſed èt Brixiam, Veronam, Derthonam, Laudem Pompejam, „ Aſtam, Januamque impunè magnis motibus concionum „ impleverit, quod èt credulè hauſit Ughellius: hæc tanta „ felicitas planè exemplo caret, in eo perſecutionis Nero- „ nianæ impetu. Illud verò incredibilius, Syrum dedicaſſe „ Eccleſiam Gervaſio, Prothaſioque, imo èt Juventium ejus „ diſcipulum, & ſucceſſorem, Templum aliud poſuiſſe in „ honorem Nazarii, & Celſi: utrobique ſacras condidiſſe „ eorundem reliquias. Quænam reliquiæ, ſi necdum fuerant „ martyrium paſſi? Nam quum dicantur in iiſdem Actis paſſi „ ſub Imperatoribus, tempore belli Marcomannorum, non „ unus tantùm, ſed duo indicantur Cæſares, Marcus ſci- „ licet Aurelius, & Lucius Verus anno circiter 161., *quæ* „ *res multis implexa erroribus ſatis diſcutitur apud Bollan-* „ *dios*. Præterea cum habeatur ex Actis eorundem Inventio- „ nis, reperta fuiſſe integra Corpora, & recentia perinde acſi „ die eâdem, inhumata ibi fuiſſent, dilucidè patet, nullas „ ex iis partes defuiſſe, quæ proinde falsò dicantur in præfa- „ tis jamdudum Eccleſiis fuiſſe reconditæ. Imo veroſimilius „ videtur ejuſmodi Altarium dedicationem incidiſſe in illud „ tempus, quo Translationis cauſsâ acciti ab Ambroſio Pro- „ vinciales Epiſcopi, ac deinde ſacris Reliquiis donati, & „ Syrus Ticini, & Limenius Vercellis, iis condendis aras ex- „ truxerint. Quid verò tam abſurdum, quam quod Syrus „ iiſdem in Actis dicatur contra Arianos impigrè diſputaſſe? „ Hæc planè conveniunt Syro Euſebii noſtri, & Ambroſii „ Mediolanenſis, non autem Petri Apoſtoli, vel Hermagoræ „ coævo. Mediusfidius ſi hæc divinare potuiſſet *Spelta*, Sy- „ rum quoque duplicaſſet, quemadmodum Criſpinos gemina- „ vit; quod èt hiſce rationibus permotus egit Ferrarius in- „ quiens: *Eccleſiam Ticinenſem fortaſſe duos Syros habuiſſe Epiſ-* „ *copos, alterum Hermagoræ, alterum Euſebii Vercellenſis Diſci-* „ *pulum*. At hic poſterior extrudit priorem, cui ſuamet re- „ pugnant Acta, poſteriori ſatiùs adaptanda.

2 „ Recitatur ibi parentalis oratio, quam habuiſſe fingi- „ tur Evantius in funere S. Syri; perinde acſi parta jamtum

„ ab Conſtantino Magno Chriſtianis libertate, ejuſmodi epi-
„ cedia, ſeu funebres laudationes haberi eſſet fas, quales per-
„ ſæpe habuit S. Ambroſius, ac nuperrimè habita fuit, dum
„ optimo Antiſtiti *Bonomio* parentavimus. Abſoluta oratione
„ dicitur idem Eventius in defuncti, laudatique locum Syri,
„ plaudente populo fuiſſe adlectus. Hæc vera ſunt omnino,
„ modo referantur ad Seculum Quartum, quo Syrus Euſebii
„ Diſcipulus floruit, & paulo poſt, Eventius Syri ſucceſſor a
„ S. Ambroſio conſecratus, unà cum ipſo ad Aquilejæ Con-
„ cilium venit, ibique propria ſe ſe manu Eventius ſubſcrip-
„ ſit, ante Baſſianum Laudenſem Ambroſii ejuſdem ſuffraga-
„ neum.

3 „ Suum denique ſuaviſſimè crimen elevat *Spelta*, quod
„ ipſe novos, explendæ immani lacunæ, Epiſcopos excogi-
„ tarit Guallæ incompertos, aliumque commentus ordinem
„ ſit, quàm qui in Papiæ Sanctuario deſcribitur, inquiens de
„ iis tantummodo egiſſe Guallam, qui Sanctorum albo fue-
„ rant inſcripti; qua in re ſe inſcium prodit antiqui moris,
„ ut pro Sancto haberetur, quem ſua cunque Eccleſia coleret;
„ ſolemniores enim apotheóſes Alexander poſtmodum ſanxit.
„ Quod autem minùs eſt ferendum: Sanctus Ambroſius ma-
„ gnæ nobis gloriæ vertit, quod Euſebiani ferè omnes exti-
„ terint vel Epiſcopi, vel Martyres: Spelta ex adverſo glo-
„ riatur, quòd nullum ſua unquam Papia Martyrem habuerit.
„ Quænam, rogo, pactæ Papienſibus cum Nerone induciæ
„ fuerant, ut ceu mitiſſimus ſub Ambroſio Theodoſius impe-
„ raret, unis eſſet iiſdem fas, non ſua modo in Urbe profite-
„ ri Chriſtianum nomen, ſed èt Mediolani, Derthonæ, Lau-
„ de, aliiſque finitimis in Urbibus, ac totâ demum Provin-
„ ciâ Chriſtum impunè, palamque deprædicare? Fabulæ huic
„ ut major conſtaret fides, adpoſitæ Syri Actis, occaſionem
„ præbuit lis, quam, ut ajebam, ſub Langobardis meditari
„ cœpit Epiſcopus Ticinenſis adverſus Mediolanenſem Italiæ
„ Primatem, rem trahens ad Romanum Pontificem, abs quo
„ deberet ſolummodo conſecrari, ratus id ſatis evictum iri,
„ ſi poſſet oſtendi Ticinenſem Eccleſiam in origine Matrem

„ fuiſſe,

„ fuiſſe & Mediolanenſis, & finitimarum, quas ſua idem „ Syrus prædicatione Chriſto peperiſſet: qui fortè error in „ *Paulum Diaconum* fluxit, & ab eo in poſteros; ſed hæc ſa- „ tis diſcuſſa ab Clariſſimo *Muratorio Anecd. Part.* 1., ubi „ pro ſua eruditione eximia docet, Papienſes aduſque ætatem „ Sancti Benedicti, quando Syrianum illud commentum fortè „ emerſit, Ambroſiano fuiſſe Metropolitæ obnoxios. „ Hactenus ex Anonymo Vercellenſi, præter verba hæc poſtrema „ quæ marte meo ſubjunxi.

4 Galeſinus in Martyrologio VIII. Februarii de Sancto Juventio, *Ejus*, inquit, *vitam ſcripſit Paulus Diaconus*; quæ quia inſita eſt Vitæ ipſius Collegæ Syri, ideo ſubdit ad ipſum diem Bollandus fol. 152.: *Paulum Diaconum eſſe auctorem* ſub an. 799., *qui ſtylo promptus, aliorum quoque Sanctorum res geſtas litteris mandavit, ut Ticinenſes minimè neglexiſſe videatur, cum illic habitaret Cancellarius Deſiderii Regis ultimi Langobardorum.* Quicquid tamen ineſt figmenti, haud ipſi Paulo culpæ dederim, ſed antiquiori cuiquam, dum lis de jure Metropolitico attentari cœpta eſt. Mox idem Bollandus confirmat, *unum utrorumque Actorum Scriptorem, utriuſque Divi Syri, & Juventii una eſſe Acta evidentiſſimum haberi.* Ac demum refellens, Juventianæ ejus Legendæ auctorem fuiſſe S. Pompejum, qui Beati dicitur Syri alumnus: *Qui verò*, ait, *Sancti Juventii geſta potuit Pompejus ſcribere, qui annis multis priùs obiit diem*?

5 Nutare hinc perſpicias in iis Actis fidem Septimo, vel Octavo Seculo, ut dixi, concinnatis peropportunè ad lites, quæ tum furiebant inter Papiæ Protomyſtam, ac Mediolani: qua de cauſſa elaboratum ſuſpicor etiam illud ſub an. 873. Joannis Papæ Octavi admirandum Diploma, quod Ticinenſi perpetuum indit jus evocandi ad Concilium utroſque Mediolani, ac Ravennæ Metropolitas: quod ipſum *Tommaxino*, & aliis penes *Euſtachium a S. Ubaldo* ſatis diligenti cenſura caſtigatum eſt.

6 Porro *Sollerius* in Martyrologium Uſuardi Tom. 7. Junii fol. 529. *Multa*, infit, *in utriuſque Actis reperiri, quæ ſcrupulos injiciunt, præſertim circa tempora, quibus ambo* Syrus, & Juventius *floruiſſe dicuntur, quæ operoſiori diſquiſitione diſcutienda*

E 2 *ſunt*,

ſunt: eaque diſcuſſum iri ſpondet decimo Decembris die. Mox ſubſequitur idem Sollerius: *In apertiſſima contradictione inſcius Gualla, ſed fortaſſe verè aſſeruit, Juventium Mediolani contra Arianos ſtrenuè certaſſe; quo pacto tota Syri, Pompei, & Juventii hiſtoria everteretur*. Et infra. *Cæterùm nec in apographis Hieronymianis, nec in genuino* Beda, Floro, *& in aliis, duo illi Ticinenſes Epiſcopi Syrus, &* Juventius *conjunguntur*. Et paulò ſuperius. *Syrum aliquem, & Juventium aliquem apud Hieronymianos hac die notari obſervo, ſed tales ambos, qui Ticinum trahi nequaquam poſſint. Nec magis Ticino propinqui ſunt, quos* Rabanus *memorat ex Hieronymianis ſua ferè deſumens. Eſt èt apud* Wandenbertum.

Martyr mox pridie celſus petit æthera Syrus.

Aſt hic martyrii laureolâ donatus minùs etiam Ticinenſibus tribuendus eſt; præſertim quòd Spelta glorietur, nullum Ticini martyrem fuiſſe.

7 Quod ſi Juventium, qui cum Ambroſio ſubſcripſit, non *Ticini* Hierarcham velis, ſed *Ceneta*; ac proinde neceſſariò ſubſiſtere Juventium ſeniorem, Hermagoræ diſcipulum; tum ego id ipſum, quod habetur in Notis ad Ughellium (a) repono. Epiſtolæ Synodicæ S. Ambroſii ad Siricium, itemque aliis (b) ſubſcripſit Eventius abſque Urbis nomine. Aquilejenſi autem Synodo nomen quoque Urbis adjecit, ſed corruptum *Citinenſis*, & *Ticinenſis*. Romana poſtmodum editio Operum S. Ambroſii Cenetenſem fecit ex Citinenſi; quocirca mutavit ſententiam Baronius in Martyrologio, aſt *non admodum firmo*, ùt autumant Patres S. Mauri in eorundem operum lima, *argumento*; *Quandoquidem ei lectioni auctoritas M. S., & aliarum editionum refragatur*. Regius enim Codex, & Chiffletius in *Divion.* habent *Ticinenſis*; proinde ſic legunt prælaudati Patres, & Harduinus in margine ad Concilium Aquilejæ *Tom.* 1. *Concil. fol.* 835.

8 Mihi ſatis perſuaſum eſt, legi oportere *Ticinenſis*, non *Cenetenſis*; nam eo fortè anno 390. Ceneta nondum Sedes erat Epiſco-

(a) *Ughel. Tom. V. fol.* 171.
(b) *Apud Harduin. T.* 1. *fol.* 855.

Epiſcopalis ; quandoquidem eſſe cœperit deletô Opitergiô, unde translatam eò Sedem memorant Auctores. Quid? Ponitur primus Cenetæ Antiſtes *Evantius* anno 390.; ſucceſſor Evantii *Vindemerius* anno 584. Proh grandem lacunam, & incredibile interpontificium! Ergo Vindemerium primo ſtatuendum loco in Eccleſia Cenetenſi; & Evantium ſuis eſſe reor Ticinenſibus relinquendum, queis ipſum tribuit Ughellius inquiens Synodo Aquilejenſi ſubſcripſiſſe, ejuſdemque corpus Ticini quieſcere; quò nullatenus Cenetâ adſportatum fuiſſe comperimus.

9 Ex dictis ingeritur ſuſpicio vehemens, ne Syro-juventianum illud drama perbellè compoſitum fuerit ad hoc, ut probabile fieret, nullum Primo Seculo fuiſſe Mediolani Antiſtitem: omnia ex voto *Bacchini* (quanquam èt ipſe nares corrúgat ad eam *Syri* Legendam) ab Ticinenſi Protomyſta, ceu jus Metropoliticum in totam Provinciam exercente, regi conſueviſſe, & ordinari. In antiquioribus Catalogis, ſpatio annorum 450., quum tantummodo quatuor habeantur Ticini Præſules, & hi in Catalogis recentioribus referantur ad Seculum Primum, prodigii inſtar eſt, Primo Seculo ſub Nerone truculentiſſimo, Ticinum ſuis gaviſum Epiſcopis fuiſſe, queis primaria Inſubrum, Galliæque Ciſalpinæ careret Urbs: Seculis autem poſterioribus, quum paulò meliùs haberi Chriſtiana res cœpit, Ticino deſuiſſe Epiſcopos, queis tota ferme Italia redundabat.

Neque mirum videri debet, quòd Seculo dumtaxat Quarto, ſub ævum S. Ambroſii, ſtatuenda Papienſis Cathedræ exordia videantur. Audiendus eſt eruditione, ac ſanctimoniâ præclarus Epiſcopus Vercellarum, *Johannes Franciſcus Bonhomius*, qui de S. Euſebio loquens: *Mediolani*, inquit, *tanquam in Metropoli, Barnabæ Apoſtolo proximè ſucceſſerunt ordine Epiſcopi, Anatolius, Cajus, & reliqui deinceps*: mox in aliis Provinciæ Eccleſiis, notat retardatam ſeriùs Epiſcopalis ordinis dignitatem. *Euſebius quidem Epiſcopus primus Vercellarum fuit*, anno circiter 340.. *Aliæ autem complures finitimæ Urbes, & illæ quidem antiquitatis, amplitudiniſque nomine illuſtres, multo pòſt tempore habue-*

habuerunt ſuos primos Epiſcopos, Gaudentium Novaria, Felicem Novocomum, Laus Pompeja Baſſianum, itemque Cremona, & reliqua praterea non pauca: quibus accenſet Derthonam, Papiam, aliaſque *Defendens a Laude Diſcorſ. 6.*

His innectenda occurrit acrior cenſura Danielis Papebrochii (a). *Sanè Ticinenſium Epiſcoporum Catalogus, per meram conjecturam apud Scriptores Ticinenſes ſuppletus videtur, duplicatis, triplicatiſque nominibus iiſdem. Dicuntur præfuiſſe Criſpini tres: duo Juventii, Maximi, Epiphanii: totidem Anaſthaſii, nullis diverſi temporis productis monumentis, quibus conſtet revera ternos, aut geminos omnes extitiſſe.* Et paulò ſuperiùs agens de Syri Legenda, *conſcripta*, ait, *a Paulo Diacono circa initium Noni Seculi florente; hac enim antiquiorem ſe non eſſe indicat, cum de Ticinenſium Urbe dicit, (quod proprio nomine Papia vocatur) quod nomen ante Paulum Diaconum, nemo invenitur ſcripſiſſe.* Quamobrem ſapiens Bacchinus, qui de Italica Barnabæ prædicatione documenta a nobis flagitat Octavo Seculo priora, cur non etiam de Ordinatione Cleri noſtri ab Syro peracta, teſtimonium poſtulet antiquius eâ Legendâ, quæ Nono vix compacta Seculo coarguitur? Sed hæc aliàs.

Neque tamen ejuſmodi Ordinatio multùm diſplicet Papebrochio ibi fol. 829. num. 52. Nam quo tempore Mediolani præſertim graſſante Erinny, *Cajum* ad alpes relegatum, inde Romam ſe proripuiſſe, & Caſtritianum cum trepido grege, diu in Orobiorum convallibus latitaſſe, proditum memoriæ eſt, tunc facilè potuit *Syrus*, Ticini in Urbe non admodum inſigni, ac proinde ab Tyranno minùs obſervata ita latere, ut clanculum ordinaret Clericos Mediolanenſes, Subſidiarii (quod par erat) Epiſcopi fungens muniis. Chronologia Pontificalis noſtra, quæ explendis hiatibus annos CLIII. dividit in tres tantummodo Epiſcopos *Caſtritianum*, *Calimerium*, ac *Monam*; ſuſpicioni locum aperit, ne vacuæ inter ipſos diu Sedi ſuppetias venerit Ticinenſis, utì proximior. Hoc ſcitè inibi Daniel advertit de *SS. Gervaſ.*, *& Prothaſ.*, quod quum in Chronicis agitur de Sanctorum captivitate, ac ſepulturâ, nulla mentio

(a) *Papebroc. IX. Junii fol. 828. num. 49.*

mentio occurrat Epiſcopi cujuſquam; qui tempore Antonini, & Veri debuiſſet Calimerius fuiſſe, atque ideo argumentatur inter hunc, & Caſtritianum aliquandiu Sedem vacaſſe.

Aſt præterquamquod de ea Ordinatione ſatis jam exploſa, nihil habent Lipomanus, Surius, Petrus de Natalibus, Iacob de Voragine; imò itidem ſilent Spelta, Sacchus, ac Ticinenſes alii, qui eam decantare debuiſſent: detur tamen quicquid adverſariis lubet. In eos retorquet argumentum Puricellius Nazar. Cap. 33. *Archiepiſcopum Mediolani interpretor abſentem, vel mortuum, cujus propterea vices S. Juventius, utpote tunc ſuffraganeus ejus, & Epiſcoporum viciniſſimus ſupplere ſtuduerit.* Et Cap. 20. *S. Cajus Archiepiſcopus noſter, antequam Romano ſe itineri traderet, Eccleſiam ſuam, ex ſua Metropolitani auctoritate fortaſſis commendaverat S. Syro in omnem opportunitatem, & neceſſitatem, qua illi prodeſſe interim, & ſuffragari poſſet.*

11 Cæterùm Pater *Romualdus* in Tractatu de Libertate Ticinenſis Eccleſiæ, tenet Syrum, & Barnabam Mediolani prædicaſſe, falſus in hoc, quod priorem Barnabâ Syrum admittit ex auctoritate Baronii innuentis anno 48. miſſum a Petro Syrum: anno autem 51. Barnabam Mediolanum adventaſſe, minimè videns Pater Romualdus ibi fortè a Baronio indicari & Syrum, & omnes Epiſcopos, ac Concionatores, qui non eo ſimul anno 48., ſed *diverſis temporibus* (verba ſunt ipſius Cardinalis) in Occidentem allegati fuere; ubi Syrus adſcribitur Petri legatis propter Acta illa, quæ ſatis jam probè vapulant cenſoriis omnium calamis.

CAP.

CAP. V.

Solvuntur aliæ quædam Bacchini ingenioſæ dubitandi rationes, ex Operibus S. Ambroſii deductæ.

1 AT *notabilia ſunt*, opponit Eruditiſſimus Abbas, *Summi Viri Divi Ambroſii ea, quæ in concione adverſus Auxentium ſcripta leguntur -- Abſit, ut tradam hæreditatem Patrum, hoc eſt hæreditatem Dionyſii, qui in exilio in cauſa fidei defunctus eſt, hæreditatem Euſtorgii Confeſſoris, hæreditatem Miroclis, atque retro fidelium Epiſcoporum. Prodigio ſimile eſt, quod èt Barnabæ hæreditatem non dixerit, quem recentiores Eccleſiæ Mediolanenſis fundatorem laudant.*

2 Me ſanè miraculo majore ſuſpendit ipſa hæc Bacchini demiratio. Non ne videt, Ambroſium ejus, contra Auxentium orationis ſuæ initium aptè ſumere ab proximo ſibi deceſsore Dionyſio (nam proximiora fortiùs, ac vividiùs exempla percellunt animos) inde ad Euſtorgium retro gradum facere? Quid? Num debuit Sanctus Orator, ad præcavendam Bacchini dubitationem, a Mirocle tranſultare ad Barnabam: aut integram perſequi ordine retrogrado, Epiſcoporum omnium nomenclaturam ita, ut diceret: *Abſit, ut ego tradam hæreditatem Dionyſii, Prothaſii, Euſtorgii, Miroclis, Materni, Monæ, Calimerii, Caſtritiani, Caji, Anathalonis, ac Barnabæ?* Quinimo fingamus id, quò Bacchiniana ſuſpicio vergit, hæreditatem Patrum cœpiſse a Calimerio. Tanti ne erat Ambroſio concionanti duos, qui Calimerium inter, ac Miroclem præceſserant, nominatim adjungere Maternum ſcilicet, ac Monam, quin eâ uteretur omnium retrò *fidelium Epiſcoporum* inani præteritione tam paucos involvente? Imò idipſum argumento eſt, Mirocli ſeptem alios (a) anteceſſiſse, quos per figuram ſcitè præterjerit.

3 Am-

(a) *Imo èt octo, ſi Julium includas teſte Baron. Martyr. 1. Febr.*

3 Ambroſii ſilentium nihil officit Barnabæ: ſicuti nec contra Calimerium facit, de quo multò magis Ambroſius conticeſcit. Huc refer ſæpè dicenda inferiùs de Gervaſio, Prothaſioque, quorum vel ipſa ignorabantur nomina, vivente Ambroſio. Hoc etiam atque etiam inculco, quod eſt tenendum mordicus. Noſtræ aliquis certè eſse debuit Eccleſiæ primus inſtitutor; attamen nullus ob hanc ſignanter inſtitutionem laudatur in iis, quæ extant, Ambroſii Operibus; ſi enim inde haberetur iſta laus de quoquam Mediolani Præſule, jam omnis ſoluta eſset quæſtio. Quod igitur neminem commendet Ambroſius, tanquam hujus Eccleſiæ conditorem, num ideo conditor fuiſse putandus eſt nemo? Nullus Scriptorum, imo ne Hiſtoricorum quidem ullus unquam ſcripſit omnia. Ambroſium verò, qui quod ſciam, ſibi nunquam ſumpſit Hiſtorici munus, multò plura præteriiſse haud ambigimus, & ea maximè, quæ vel ignota erant prorſus, vel (ùt ego ſatiùs exiſtimo) eò quòd eſſent notiſſima, ſupervacaneum videbatur litteris pervulgare. Cardinalis Baronius, poſt obitum Sanctiſſimi Patris, lamentatur quamplurimos ejus Sermones eſſe deperditos, plures etiam Libros S. Maximi Taurinenſis, & S. Proſperi (utinam èt non Pelagii!) ficto Ambroſii nomine circumferri.

4 Demum ſi quid video, ea Mellifloqui Doctoris verba laudantis hæreditatem Eccleſiæ ſuæ, nulla Barnabæ injecta mentione, nihil negotii faceſſunt nobis. Bacchini ego quidem ingenium noſco, cui cæteroquì jam præluſerant *Johannes Mabillon*, & *Michael Germain* in Muſæi Italici Parte II. Tomi Primi pag. 109.; ubi poſt recitatam eandem Ambroſii periodum, neſcio quid innuere videntur: certè nihil explicant. Illuſtrem paraphraſim ſubjecit Cl. Muratorius Rerum Italicarum Tomi 1. Parte Altera fol. 201. ſic: *quaſi dicat Mabillonius --- Quinam opportunior, quàm iſte, Ambroſio locus commemorandi Barnabæ, ſi eum ſuæ Eccleſiæ fundatorem noviſſet, aut crediſſet?* ita demum primoribus labellis, extra locum, delibatam theſim idem expedit Muratorius, *ut ſaltem vetuſtiſſima, hac de re, Mediolanenſium traditio habenda ſit.*

5 Utcunque verò Ambroſius noviſſet, Barnabam ſuæ protoparentem Eccleſiæ: non erat iſte ad hanc rem commemorandam locus contra Auxentium; ſed multò melius ex Oratoris arte, viſum eidem fuit, ſtatim in limine concionis, ingerere illi pſeudoepiſcopo exemplum Dionyſii: *abſit, ut tradam hæreditatem Dionyſii*; utpote qui recenter in cauſſa eâdem, murum oppoſuerat ſe pro Domo Domini; exulatum enim ire maluerat, quàm decedere tranſverſum unguem ab jure ſuo, ac de ſacroſancta Patrum hæreditate.

6 At ſubdit Bacchinus. *Nec de Barnaba, tanquam Eccleſiæ Mediolanenſis primo Epiſcopo, verbum facit Ambroſius, qui diverſis in locis eundem Barnabam laudat*. Obicem hunc, quemadmodum proruam, attende. Bis S. Doctor Barnabam nominat in iis, quæ extant, ejus Operibus: ſicut exactè Monachi obſervant S. Mauri, in eorundem editione verb. *Barnabas*. Primùm in Commentario Epiſtolæ Sancti Pauli primæ ad Corinthios v. 12.: *ſi alii poteſtate veſtra utuntur, nonne magis nos*? Quæ Apoſtoli verba ſic exponit Ambroſius: *Si enim qui per Evangelium Patres veſtri non ſunt, facultatem habent accipiendi; quanto magis nos? Et ſubauditur nos, qui ſumus veſtri Apoſtoli; quia èt Barnabas Apoſtolus erat unà cum Paulo*. Quibus verbis, prout ex contextu liquet, vult licere victum ab iis petere, quibus Evangelium traditur. Item Barnabæ vocabulum, idem Doctor Ambroſius obiter attingit Lib. 2. cap. 13. *De Spiritu Sancto* ad Gratianum Auguſtum, ubi ſic. *Paruerunt ergo Paulus, & Barnabas Spiritus Sancti imperatis: paruerunt èt omnes Apoſtoli*. Quid? Hiſne in locis obſtupeſcit Cenſor noſter, quod de Cathedra Mediolanenſi nullum Ambroſius verbum interſerat? Quid potuiſſet ineptiùs facere Sanctus Doctor, quàm iis Diſputationibus inſerere Italicum Barnabæ itinerarium, & quod ajunt, platanum mediis in fluctibus pingere? Hoc demum adfirmem, non omnia ſcripſiſſe Ambroſium, neque ejus ſcripta ad nos perveniſſe omnia: id ego certior fio ex delibandis infrà litteris *Pauli*, ac *Gebeardi* Ratisponenſium, in Archivo Ambroſianæ Imperialis Baſilicæ noſtræ. Hi ſub annum 1130., contexendo operam dabant

Mar-

Martyrologio, ſimul èt Ambroſii conquirendis operibus, quorum aliquot ignorabantur eâ dum ætate: aliquot fortaſſe latent adhuc, ſive prorſus interjére. Ut autem veterum acta Conciliorum plurima exciderunt: ita, quod boni avertant Superi, fac, aliquando excidant acta Concilii Provincialis Sexti, in quo Sanctus Carolus tam diſertè memorat Barnabam hujus Eccleſiæ conditorem; num Bacchinus inſpiciens litteras encyclicas ad frontem Breviarii, Miſſalis, Sacramentarii, ubi Sanctus idem Carolus laudat Eccleſiæ ejuſdem hæreditatem, neque tamen Barnabæ quicquam meminit, num, inquam, Bacchinus argueret, Divo Carolo ignotum fuiſſe, aut dubium, quinam primus Eccleſiæ ſuæ parens extiterit? Nemo præterea, ut dixi, affirmare audeat, epiſtolas Sancti Ambroſii extare omnes. Fac verò deſideretur illa de Sanctorum Gervaſii, & Prothaſii translatione. Quid aliunde ex Doctore eodem ſciri poſſet de re alioquì tanto miraculorum ſtrepitu concelebrata?

7 Jubet me locus iſte in medium pandere prælibatas *Pauli*, ac *Gebeardi* Ratisponenſium Epiſtolas ad *Martinum* Ambroſianæ Baſilicæ Præpoſitum circa annum 1130. Plures eorundem litteras ſervo in mea Collectione Diplomatica, quæ jam tota in lucem feſtinat. Senas do ſelectiores, multimoda eruditione ad rem manantes; quæpote docent iam tum uſque in Seculum illud Duodecimum, latitaſſe nonnulla Ambroſii Opera, quæ de ſolo titulo erant nota: hinc facilis conjectura ſit, alia, atque alia extitiſſe, præſertim Epiſtolia, aut Sermones, quorum èt titulus ita ignoraretur, ut omnem fugerent inquirendi ſolertiam, ſuiſque in latibulis demum perjerint.

I.

MARTINO gratiſſimo amico *Paulus*, ac *Gebebardus* affectibus prompti, & effectibus infirmi, totius Ambroſianæ Suavitatis etiam in hac vita participes fieri. Pater amande, non ſinit nos conſuetudinem ſcribendi tibi prætermittere, ſed pudor obſiſtit illius inefficaciæ, quam jamdiu paſſi ſumus, & adhuc patimur in *indagandis Libris Ambroſianæ Doctrinæ. Multoties enim ſpes inveniendi luceſcit, multoties etiam tenebreſcit.* Nam multi caſus adeo bonis ſtudiis adverſantur, ut etiam, quæ domeſtica ſunt, aliena videantur. Nondum tamen ab inquiſitione deſiſtimus; quippe qui nuper *miſimus in Saxoniam, & paulo ante miſeramus in Galliam Belgicam ad inveſtigandum Ambroſium ſuper Iſajam.* Verùm ſapienti de his ſat dictum. Magnas tibi agimus gratias pro alumno noſtro *Walthario*, qui te cooperante non ſolum Subdiaconus, ſed & Diaconus ordinatus eſt juſto deſiderio ab Orthodoxo Præſule tuo; quique beneficentiam tuam ſuis neceſſitatibus impenſam, beneficentiis præfert univerſorum, quos peregrinus expetiit Italorum. Omnes Sanctos Pontifices tuos, quos nobis in brevi deſtinaſti, ſuis in locis in Martyrologio noſtro collocavimus, præter *Ampellium*, cujus annuum diem tu prætermiſiſti. De *Petro Damiani*, cujus ſecretam memoriam propter utilitatem ejus frequentamus, nuper audivimus, quod in Eccleſia Cornelienſi defunctus, & ſepultus fuerit. Ut tranſitus ejus, quem adhuc ignoramus, ut aliorum Sanctorum celebris ſit.... Illas duas ignorantias, quas paſſi ſumus de *Ampellio*, & *Petro* proxima reſcriptione petimus, ut depellas: inſuper & ſcientias noſtras, ubi poſcat honeſtas, adaugere ſtudeas. Epiſtolam (a), quam Archiepiſcopo miſimus lege, & quid tibi, & ſibi pariter committimus, miſericorditer ignoſce. Commendamus tibi animam Confratris, & Compresbyteri noſtri Kal. Martii defuncti nomine Marquardi.

MAR-

(a) *Extat cum aliis in mea Collectione ſpectantibus ad Lotharium, & Conradum.*

I I.

MARTINO fideliſſimo, & prudentiſſimo Sancti Ambroſii Vicedomino *Paulus* Presbyter indignus benemeritæ recordationis, & familiaritatis votivum pignus. Quoniam Collega meus *Gebebardus* abſens eſt pro quadam legatione Domini Papæ, de quo dico tibi in veritate, quod nullius neceſſitatis contentus eſt excuſatione a debiti muneris expectatione. Interim mea ſolicitudo hoc tibi mittit pro dono, quod *Ambroſius ſuper Iſajam Prophetam compertus eſt eſſe apud Remenſem Eccleſiam*, unde eum Mediolanenſes pro ſua dignitate non deſperamus mutuaturos eſſe. *Scripta ejus ad Panſophium, & ad Reginam Marcomannorum, adhuc nuſquam inveſtigare quivimus*, viciſſimque petimus, ut ſi vos inveniſtis, vel invenire poteritis, nos inventionis veſtræ congratulatores, datis indiciis habere velitis. Præterea ſingularis curioſitas mea ſingulariter poſtulat dignationem tuam, quatenus miſſo mihi Mediolanenſis Eccleſiæ Privilegio, ſcire me facias, quos, & quot Epiſcopos Suffraganeos habuerit, antequam Mogontina dilatatio terminos ejus inſtinxerit. Nequaquam enim invidemus, imò plurimum congaudemus amplitudini honoris Ambroſiani. Sed & hoc dilectioni tuæ non tacebo, quod præfatus ſocius meus, & aſſiduus deprecator tuus Apoſtolica auctoritate Presbyter eſt ordinatus, & ambo in tutelam, & ſpecialem filiationem Romanæ Eccleſiæ aſſumpti, & aſcripti ſumus. Dominus tecum.

I I I.

MARTINO fideliſſimo Cuſtodi Theſaurorum Beati Ambroſii *Paulus*, & *Gebebardus* germani, inveſtigabiles divitias Chriſti. Tertius annus eſt, quod una tecum, & cum cæteris Ambroſianis lætiſſimam Sancti Spiritus feſtivitatem celebravimus, & adhuc ſolemnizant mentes noſtræ ex memoria dulcedinis veſtræ; multùm enim humanè, & honeſtè tractati fuimus a vobis. Hinc etiam eodem anno miſimus vobis *ſuaviſſimam expoſitionem Ambroſii* ſpecialis veſtri Doctoris in partem gratiarum actionis. Nunc autem, quam intimè ſalutantes Dilectionem veſtram, impensè volumus, ut tranſcribi nobis faciatis Sacramentarium

ejuſ-

ejuſdem S. Ambroſii cum Antiphonario ejus, nobiſque ſine dubio redempturis pretium ſcriptori, tranſmittendum deſignetis. Hoc verò gratuitum Karitatis veſtræ munuſculum eſſe volumus, ut nobis initia, & fines Evangelicarum, & Apoſtolicarum Lectionum, ſecundum morum Eccleſiæ veſtræ ad Miſſas legendarum, in Breviario comprehendas; inſuper & Catalogum, quem mihi *Paulo* promiſiſti, Mediolanenſium Epiſcoporum ſubjungas. Præterea primum ſuſceptorem noſtrum Abbatem de S. Dionyſio, deinde Abbatem de S. Victore, Clerum quoque S. Nazarii, & Venerabilem Ambroſium Presbyterum benefactores noſtros ex parte noſtra ſalutare, te depoſcimus. Gratia Domini noſtri Jheſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

I V.

MARTINO Fideliſſimo Cuſtodi bonorum Beatiſſimi Ambroſii *Paulus*, & *Gebehardus* humiles amici ejus, ſuper multa conſtitui in introitu gaudii Dominici. Magnas referimus gratias benevolentiæ tuæ, Pater amantiſſime, quoniam charitatis noſtræ notitiam non ſolùm dignatus es in gremio tuo confovere, ſed etiam principalis Cleri piis manibus, & oculis curaſti exhibere. Quod autem ambiguitatem removeri poſtulas ab appellatione Sacramentarii, nos nullum appellamus Sacramentarium, niſi Librum Miſſalium orationum abſque Lectionibus Evangelicis, Apoſtolicis, & Propheticis, quarum fines, & principia ſecundum Ambroſianam exceptionem petentibus nobis annotare pollicitus es. Nam illum titulum, quem tu ita ponis: *incipit liber Sacramentorum*, nos non habemus; quippe qui non unum tantùm, ſed & ſex Ambroſianos Libros *de Sacramentis* lectitare ſolemus. Verùm quod interrogas, utrum Antiphonarium cum notulis, vel ſine notulis habere velimus, nihil Ambroſianæ integritatis deeſſe nobis volumus, quoniam ipſa ſpecies operum ejus, etiam uſum eorum neſcientes oblectat. Mitte ergo nobis Antiphonarium cum notulis, & Sacramentarium cum ſolis Orationibus, & Præfationibus Ambroſianis. Nam geſtis Sanctorum, quæ Miſſarum celebrationibus apud nos interponi ſolent, non indigemus, quoniam hic abundamus. Cetera dicenda vel de pretio, quod mandaſti, vel de gratiarum actione, quem meruiſti, litterarum injunximus portitori. De cetero optamus, ut poſt theſauros Beatiſſimi Ambroſii, cum eodem poſſidere merearis inenarrabiles divitias Chriſti.

Anſel-

V.

Anſelmo Mediolani Archiepiſcopo.

ANSELMO Stellæ prælucidæ in firmamento Mediolanenſis Eccleſiæ divinitus poſitæ *Paulus*, & *Gebehardus* deſideratores luminis ejus nobilem claritatem in ſplendoribus Sanctorum. Quoniam princeps in divinis laudationibus apud Latinos præfulſiſſe cognoſcitur Mellifluus Doctor AMBROSIUS, idcirco ne ingrati ſimus tam ſanctis primordiis, habere delectamur notitiam tantæ auctoritatis. Hoc dicimus, quoniam probitatem tuam admirari comperimus, cur nos, qui habemus ordinem Romanum, ſimul habere geſtiamus Ambroſianum? Fuit olim tanta Mediolanenſis Eccleſiæ dignitas, & excellentia, ut Aurelio, & Auguſtino, cæteriſque Africanis Præſulibus non ſufficeret in dubiis rebus Romanum conſulere Pontificem, niſi pariter conſulerent & Mediolanenſem. Deſine ergo admirari imitatrices Sanctorum Patrum inquiſitiones noſtras, & adhibe opportunas opitulationes tuas, ut ordo Ambroſii dulciſſimi Sancti Spiritus organi, quem diſcipulus ejus Doctor eximius Auguſtinus traduxit in Africam, nobis transferatur in Germaniam ad excitandam, & dilatandam boni odoris fragrantiam; nam & nos parati ſumus ejus, cunctorumque fratrum tuorum voluntatibus ſatisfacere, *ſicubi fortè nos aliquid Ambroſiani operis, quod vos non habetis, contigerit invenire: ſicuti Veronæ poſiti fecimus, quando expoſitionem Quintidecimi Pſalmi, in qua de morte Gratiani Imperatoris agitur, Domino Martino ejuſdem Beati Ambroſii Theſaurario tranſmiſimus.* De cætero optamus, ut cum Beatiſſimi Ambroſii præſidio nunquam tibi deſit Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, ejuſque proximæ Theclæ venerandæ interceſſio.

Felici

V I.

FElici MARTINO corpore , nomine , & opere valde congruo ſuaviſſimi odoris Ambroſio Paulus , & Gebehardus alacres adoratores procul ſpirantis fragrantiæ ejus ſempiternis ex eodem , & cum eodem Ambroſio repleri ſuavitatibus : In Galeſinis decretis , o Care Pater , legimus , & in exemplis religioſorum virorum certificati ſumus , quod . . etiam in Sabbato mediæ Quadrageſimæ , Sabbatoque Sancto Paſchæ , ſacros liceat ordines dare , ideoque multam fiduciam habentes de tuæ benevolentiæ ſuggeſtione , & Archiepiſcopi noſtri ſuper licitis rebus aſſenſione , ſuffragationi tuæ mittimus hunc alumnum noſtrum non falſi teſtimonii bajulum , ſi forte in ſuſcipiendis ſacris ordinibus aliquam valeat capere licentiam ; non enim occurrere potuit Sabbato quatuor Temporum . Denique ſecuri de diſciplina ejus , ſpemque bonam gerentes de laboribus peregrinationum ejus uſque ad ſuſceptionem presbyterii patienter ſubportamus ; ad quod tamen per intervalla , quæ præſignatus Papa Gelaſius neceſſitatibus conceſſit , eum pertingere volumus . Præterea tibi notificamus , quod poſt multorum falſitates nunciorum , hodie in Kathedrali feſto Petri Apoſtoli miſimus honeſtum , & religioſum Presbyterum ad *deportandum nobis Ambroſium de Laude Sanctorum* , teque nobiſcum dicere volumus : Domini voluntas fiat . Saluta refugium noſtrum Archiepiſcopum , & roga quò frequentiùs , quàm ſolitus ſit , ſuis nos alloquiis lætificet , cum nos ejus quotidianam memoriam , ſicut & tuam faciamus . Cereo globo in Purificatione Sanctæ Mariæ per Miniſtrum noſtrum ſanctificato ſalutamus ſplendores Sanctorum tuorum , imò & noſtrorum ſcilicet Ambroſii , Gervaſii , & Protaſii , Satyri quoque , & Marcellinæ , cujus adhuc reliquiis inviti caremus ,

CAP. VI.

Proponitur majus aliud Bacchinianæ hæſitationis thema diſcutiendum Capite ſequenti ; interim Cardinalis Baronii hac de re ſententiam propugnamus.

1 NEque ea pluſculum moleſtiæ faceſſunt, quæ pergit idem Bacchinus argutando objectare ſic. *Qui a Divi Barnabæ prædicatione originem Eccleſiæ Mediolanenſis deducunt, ajunt quidem, quod recentiorum plurimis placet, ſed ſine Veterum teſtimonio loquuntur ; quandoquidem nil de ea re invenire eſt in Eccleſiaſticis documentis, quæ uſque ad OCTAVI Seculi tempora, ſunt conſcripta. Celeberrimus ille Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens Baronius, qui Hippolyti Martyris libello de LXII. Diſcipulis, credendum cenſuit, in notis ad Martyrologium XI. Junii, ex complurium recentiorum multitudine potiùs, quàm auctoritate ductus, ad annum LI. ſcribere non dubitavit ea, quæ circumferuntur de prædicato in Liguria Evangelio per Barnabam, & fundata nobiliſſima Mediolanenſi Eccleſia, fide certa, & indubitata conſtare. At norunt Eruditi, Hippolyto adſcriptum libellum æquè, ac Dorothæi nomine inſcriptum, inter fabuloſa, & commentitia referri oportere* -- hæc Bacchinus ; cujus aries eò intenditur, ut gravem perfringat ſententiam Cardinalis Baronii paulò antè a me relatam ; quem propterea lamentatur a Dorothæo fuiſſe, vel Hippolyto pſeudo--ſcriptoribus illuſum, ac recentiorum numerô potiùs, quàm auctoritate captum.

2 At ego primum omnium conſtanter nego, Purpuratum Annaliſtam incidiſſe in decipulam Dorothæi, aut aliorum, ſi qui fortaſſe hauſerint ex Clemente aliquid. Mirum! Vix credo mihi, potuiſſe cordatum Abbatem ita diſſimulare, minimèque attendere, quanti æſtimet Baronius Dorothæum,

alioſque prædamnatâ Clementis doctrinà delibutos Codices, quos cum ſtomacho rejicit ad fungos putridos. Sub annum LI., poſtquam pluribus oſtendiſſet Baronius, tum eſſe Barnabam Romæ non potuiſſe, hiſce demum ſannis exſibilat Dorothæi ſententiam de Barnabæ, ante adventum Petri, habita Romæ prædicatione. *Faceſſant ejuſmodi portentoſa mendacia, & inſana deliria, quæ ex prædicto cœnoſo gurgite Recognitionum, quæ ſunt Clementis nomine inſignita, deducta non tantùm Alexander, ſed èt Dorothæus inter cæteras quiſquilias adlegit, quæ non tantum ab eruditis Viris improbata, ſed èt omnibus, qui vel leviſſimâ Eccleſiaſticarum rerum peritiâ tincti ſunt, eſſe procul rejicienda non dubitamus*: hæc Baronius; qui ſtatim in eadem pagina 377., ſub annum eundem LI., in eodem omnino paragrapho illam ſubdit, quam repetere haud piget, gravem, magnificam, toto Purpurati Sapientis libratam pondere ſententiam, haud facilè vanis diſtorquendam ſuſpicionibus, ac cavillis. *Verùm poſt ea tempora &c. Barnabam in Italiam veniſſe, & in Liguria prædicaſſe Evangelium, Nobiliſſimamque Mediolanenſem Eccleſiam erexiſſe, longè latèque Chriſti fidem propagaſſe, firmæ Traditiones, ejuſdemque Eccleſiæ monumenta complurium Scriptorum teſtimoniis confirmata fidem certam, & indubitatam faciunt.*

3 Viden', BACCHINE Vir docte, ac cumprimis honorande mi, quid Baronium defixerit in ſententia? Non Hippolyti unius, non Dorothæi caſſa auctoritas, quem ipſe rejicit ad *quiſquilias*; ſed alta, firmaque Traditio manans (ùt ſtatim clareſcet) ex obſcurioribus Seculis, & omnem ſupergreſſa memoriam vetuſtatis: cui Traditioni ſi ſtandum abnuas, ſi primæva adhuc ſcripta velis opperiri, tot infortuniis abſumpta, tot labefactata falſimoniis, quid uſquam certi, ac ſinceri in humanis rebus fuerit?

4 Sed antequam perinſigni huic Cucullæ, priſca litterarum, vel OCTAVO priora Seculo monumenta expetenti ſatisfaciam; juvat cum bona venia, quatuor ipſius verba revocare ad trutinam. Quum dixit Mediolanenſem Barnabæ Apoſtolatum fulciri, *multitudine recentiorum potiùs, quàm auctoritate,* debue-

debuerat paulò attentiùs conſiderare, quales ii, quantique Viri ſint, quos multitudo ejuſmodi comprehendit. Neque enim ipſis ulla deeſt earum rerum, queis ſumma auctoritas gignitur. In iſta *multitudine* continentur tot Epiſcopales, quas anteà innuebam, Eccleſiæ, & quotquot hactenus enituerunt ipſarum Epiſcopi, Hagiologia, Martyrologia, Miſſalia, Breviaria, ac cætera Liturgica. Inſunt præterea eidem *multitudini* Litterati omnes omnium ætatum, ac nationum, qui modò aliquid attigerint de origine Eccleſiæ Mediolanenſis; vix enim quempiam nanciſcáre, qui ante Belladam, aut Speltam aliter ſenſerit, nedum ſecus. Demum iſta multitudo complectitur Clerum Ambroſianum, quo (fas mihi ſit dicere) quis cultior? quis eruditior? & Synodum Provincialem, & Acta Eccleſiæ ejuſdem tam magni ubique gentium facta: quinque præterea Cardinales Sapientiſſimos, quos cum aliis ferme innumerabilibus cauſſæ hujus Patronis in calce ſubjiciam, *Bellarminum*, *Bonam*, *Baronium*, ac *Borromæum* utrumque *Federicum*, ac S. CAROLUM, cujus aſſertio quanti facienda ſit, pii, doctique æſtiment.

5 Ut ſemel dicam omnia: Galliæ noſtræ, Italiæque totius, ac Romanæ Protomatris Eccleſiæ tanta, ac tam mira conſenſio, quæ ex Martyrologiis conſtat, & ex dicendis etiam magis eluceſcet, parumne videatur præſeferre pondus auctoritatis? Nolo a ſimilibus arguere: multò minùs auſim a minorum comparatione, ne nimiùm diſpliceam. Suas quiſque cum hac noſtra comparet patrias Traditiones, & Hiſtorias. Videat, num plures habeantur tantâdem præditæ auctoritate. Secum tacitè confitebitur, vix ullam eſſe, quæ ex hac parium, vel majorum etiam conflictatione, incolumis poſſit evadere.

CAP. VII.

Antequam Bacchino ſatisfaciam, oſtendo, quàm ardua ſint ipſius vota expoſcentis antiquiores Octavo Seculo tabulas, ac teſtes de Mediolanenſi Barnabæ Apoſtolatu.

BACCHINO priuſquam auſcultemus, quempiam efflagitanti idoneum hac de re teſtem, Seculo ſuperiorem OCTAVO; huc ea recidunt maturè prænotanda, quæ Baronius ad Martyrologium in *Præcapitulatione* dicendorum, profert ex Arnobio, Optato, Auguſtino ſuper clade Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ab Diocletiano imperata, Tertio labente Seculo. *Meminit hujus feralis ſanctionis Euſebius Hiſt. Lib.* 8. *cap.* 2. *quando inquit -- Divinas, & Sacras Scripturas medio foro, in rogum impoſitas oculis noſtris perſpeximus --* Et infra. *Tunc temporis in tanto Chriſtianarum Scripturarum naufragio, factam eſſe illam Actorum Martyrum jacturam, nulla eſt penes nos dubitatio: tuncque ablata illa nobiliſſima rerum geſtarum monumenta &c., vixque ex tanto naufragio perpaucas tabulas remanſiſſe putamus, ùt poſt vindemiam eſſe ſolet racémus unus, aut alter.* Ab hoc incendio Sacroſancta excipit Baronius utriuſque Teſtamenti Volumina; toto quæpote frequentiſſima haberentur Terræ Orbe, ut abſumi haud facilè cuncta potuerint. *Cæterùm non ſic de cæteris libris licèt Eccleſiaſticis, licèt perneceſſariis; nam immenſam raritatem illorum fuiſſe,* demonſtrat exemplô Codicis Euſebii Cæſarienſis; ac demum ita argumentatur. *Quid ergo mirum, ſi talium perpauca, quæ erant exemplaria, tanto terræ motu Orbis Chriſtiani, fuerunt obruta, univerſalique incendio concremata ita, ut ex buſto perpaucæ vix reliquiæ ſuperfuerint? At quis memorare ſufficiat aliorum Eccleſiaſticorum funera, qui licèt ubique gentium ſparſi; tamen eâdem ſunt conflagratione conſumpti?* Hactenus ex Baronio ibi Cap. 3. id demum etiam com-

commonente, ſuperſtites eaſdem tabulas fimo hæreticorum illitas fuiſſe permultis partibus.

2 Mediolani verò, quæ tum altera Imperii Sedes erat, quanta perquirendorum Codicum rabies fuerit, ac ſolertia ad comburendum! Simul recognoſcas, quanta igne eodem conflagrarit ſacræ eruditionis ſupellex ad originem ſpectans Eccleſiæ noſtræ, primoſque ipſius Conditores, & Epiſcopos. Imitata enim, *Baronio* ibidem teſte, Mediolanenſis quoque Eccleſiam methodum Romanæ fuerat, juſſis, qui adhuc vigent, Notariis, ſub Levitarum cura, litteris conſignare fortia quæque, ac præclara Chriſtifidelium geſta: mox referre ad Pontificem, cujus mandato ritè conderentur inter Eccleſiaſtica monumentam. Quod ipſum poſteriore etiam confirmatur *Paulini* exemplo, qui, ſub magiſterio Caſti Levitæ, Notarius acta conſcripſit S. Ambroſii ad nos derivata. Secus autem quos ante Diocletianum Commentarios habueramus, quandoquidem bina, aut terna, certè pauciſſima exempla haberentur (neque enim facilè poterat, uti nunc ope typographica, parari major copia) per ſatellites conquiſita flammis feralibus exarſere. Hæc noſtrorum ſors lachrymabilis Annalium fuit, quos fortè coævi, aut ſuppares accuratiſſimè confecerant de rebus geſtis ab Eccleſia condita uſque ad Diocletiani fatum, haud multò ante Seculum iniens Quartum. Eo ſimul fato periit clarior notitiam primordiorum Eccleſiæ Mediolanenſis, ſcilicet Barnabæ, Anathalonis, Caji, aliorumque, niſi quid aut Scriptores alienigenæ (quos edam infrà ſuo loco) ex contextu attigerint obiter, aut tum Chriſticolæ res ſuas ſcribere vetiti, poſterorum fideli memoriæ cuſtodiendum oretenus commendarint. Major equidem Traditionis neceſſitas tunc urgebat; quòd & inſtaurare, ſeu denuo condere concrematos Codices non licebat per tyrannidem, & utcunque licuiſſet, non erat facile, res Primi Seculi reſcire, & ex clandeſtinis Seniorum, qui paſſim latitabant, Chriſtifidelium ſermonibus expiſcari.

3 Quàm tetra ex illo igne, quàm prodigialis ignorantiæ oborta caligo ſtatim invaſerit ſubſequens Seculum Quartum, conjice ex hoc uno, quod fert *Paulinus*, qui tum Ambroſio

noſtro

noſtro erat a manu. *Prothaſii, ac Gervaſii Martyrum, ùt nomina, ita èt ſepulcra ignota erant:* divinitus Ambroſio revelata ſunt; qui in Epiſtola ad Sororem: *diu*, inquit, *ante ignorati Prothaſius, Gervaſiuſque &c., qui ſterilem Martyribus Eccleſiam Mediolanenſem, jam plurimorum Matrem filiorum lætari paſſionis propriæ fecerunt & titulis, & exemplis.* Inde proſequitur S. Doctór ſibimet gratulari tantos nacto prupugnatores: *Patronos habebamus, & neſciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præſtare majoribus. Sanctorum Martyrum cognitionem, quam ipſi amiſerant, nos adepti ſumus.* Hinc Daniel Papebrochius 19. Junii fol. 817. arguit neminem, qui tunc ſciretur, Civem Mediolanenſem Mediolani, præter duos hoſce, martyrii fuiſſe laureolâ donatum; imò èt Nazarium, Celſumque alienigenas tum fuiſſe Mediolanenſibus ignotos.

4 Utùt tamen ſeſe res habuerit (nec enim vacat diſpicere omnia) quid admirabilius, quàm quod illi duo Patriæ Heroes Gervaſius, ac Protaſius in hac Urbe nati, in eâdemque inſigni martyrio coronati, quorum tumulus debuerat de more eſſe pro tecto, & arâ, jam tum vivente Ambroſio, Quarto videlicet Seculo, abiiſſent in tantam oblivionem, ut ne de nomine quidem eſſent noti, omniſque jamdudum obſoleviſſet eorundem honos? Tu ne mirabere, S. Ambroſium fortè ignoraſſe (quod tamen ego ſatiùs diffitear) quis hac in Urbe primam Evangelii emiſiſſet vocem; quandoquidem Ambroſius & martyrium ignorabat, & ſepulcrum, & ipſum eorum nomen, qui in Urbe eâdem pro Chriſto effuderant ſanguinem, ac vitam, tanta martyrii celebritate? Dic idem de SS. Nazario, & Celſo, ſi vera fert Papebrochius 19. Junii fol. 817.: *uterque adhuc erant Mediolanenſibus ignoti*, Quarto labente Seculo.

5 Verùm quid duos hoſce dumtaxat memoro tunc Mediolani ignoratos Chriſti Martyres? Populos Martyrum habueramus, quorum vocabula ipſa jam tum abraſerat oblivio. Ex Chronicis apud Bonaventuram Caſtilionæum in Vita SS. Caji, & Caſtritiani recollectis, pauca hæc latinè reddo. „ Miſſus „ ab Nerone Mediolanum Præſes Æmiliæ, Liguriæque Anolinus „ Secundicerius, nequiſſimo deceſſore Paulino nequior, fretus „ Cæſa-

„ Cæſareo mandato, ut omnimodè extinguendum curaret „ Chriſti nomen, primùm B. Cajum virgis cæſum, ac „ ludibrio traductum ablegavit ad montes: quàquà conqui- „ ſitos Chriſti milites in Theatro, in Circo Maximo fœdè ex- „ cruciatos, dulci ſpectaculo exhibebat. Cadavera per cloachas „ raptata in fontem Baptiſmatis jactabantur. Hoc Mediolani „ graſſante Cacodæmone, ingens cum Nazario, Celſoque „ Chriſtiana phalanx martyrium ſubit. Suffectus Anolino „ pejor peſſimo Anaſtaſius non ætati, non ſexui, ne Romanis „ quidem cervicibus parcens, hoc ſæpè fando affirmabat, ſibi „ nuſquam placere Chriſticolas poſſe, niſi in crucibus. Ea „ tempeſtate Gervaſius, ac Prothaſius inter quamplurimos, „ ſtrenuam pro Chriſto mortem oppetierunt. Quanta dein „ Aurelii Præfecti, quàm ſanguinolenta diritas, lata lege ab „ Domitiano, quemque Chriſtianum impunè mactari! Tum „ Caſtritianus ſucceſſor Caji cum manipulo Fidelium, extorris „ ceſſit in ſpelæa Verbano, Larioque interſita „ Hæc Caſti- lionæus: cui utvis nonnihil emendando, in ſumma rei con- gruit Sermo de SS. Nazario, ac Celſo inter Ambroſianos, neſcio an immeritò olim regeſtus: *Agnoſcamus Chariſſimi, circa Ec- cleſiam noſtram, Divinorum munerum largitatem. Exultant felices ſingularum Vrbium Populi, ſi unius ſaltem Martyris Reliquiis muniantur. Ecce nos, Populos Martyrum poſſidemus. Gaudeat terra noſtra, nutrix Cæleſtium Militum.* Sed quid! Tot Marty- rum Populis fœtam Eccleſiam Mediolanenſem, cur eandem *Martyribus ſterilem* dixit Ambroſius? Hoc Papebrochium, & alios movit, ut eam ex Ambroſianis expungerent Homiliam, & Martyrum Populos aliò transferrent; perperam tamen. Nam ſterilitas ea refertur ad diem, quo martyrium paſſi Gervaſius, ac Prothaſius *ſterilem* anteà *Martyribus Eccleſiam lætari paſſionis propriæ fecerunt & titulis, & exemplis*. Textum integrum, unde clarior pateat Ambroſii mens, accipe ex Editione Me- diol. 1474. per Chriſtoforum Valdarfer Ratiſponenſem; ubi le- gere eſt *lætari fecerunt*, non ſicuti legit Papebrochius cum aliis, *fecerint*; neque *proferuntur*, ſed *referuntur*.

6 *Reſpexit ſanè, & humilia Deus noſter, qui latentes ſub igno-*

ignobili ceſpite Reliquias SS. Martyrum ſua Eccleſia revelavit; quorum anima in Cœlo, corpus in Terra, ſuſcitans a terra hunc inopem, & de ſtercore hunc erigens pauperem, quos videtis, ut eos cum Principibus Populi ſui collocaret. Principes Populi, quos alios, niſi Sanctos Martyres aſtimare debemus! Quorum jam innumerum diu ante ignorati Protaſius, Gervaſiuſque referuntur, qui ſterilem Martyribus Eccleſiam Mediolanenſem, jam plurimorum Matrem filiorum, latari paſſionis propria fecerunt & titulis, & exemplis -- Hæc Ambroſius.

6 Viden'? Loquitur ibi S. Doctor de tempore Paſſionis, quo Martyres nondum alios pepererat noſtra Eccleſia, vel eos (puta Nazarium, ac Celſum) Ambroſius necdum compererat; ideo dixit *latari fecerunt*, dicturus *faciunt*, ſi de præſenti Inventione, non de Paſsione præterita loqueretur. Utinam meliùs hæc attendiſſet ibi Daniel IX. Junii fol. 829. num. 56. Noſtra mehercle intereſſe debet permagni, ne improba hujuſmodi ſterilitatis nota, Ambroſianæ Sponſæ ab ipſo Ambroſio inuſta videatur. Certiſſimus erat ipſe, & nos certiores ſumus ex Traditione poſtmodum etiam in Chronicis recepta apud *Oroſium*, *Lactantium*, *Pagium*, ipſumque inibi *Danielem*, Neronianam perſecutionem affeciſſe Chriſtianos omnes non modo Romæ, ſed toto Romano Imperio degentes: neque Mediolani minorem, quàm uſquam alibi Chriſtifidelium cædem fuiſſe. At ſicuti ex rumore famæ, quandoque accipimus magnam in prælio editam cladem, nondum comperto, quinam eo in prælio ceciderint; haud aliter S. Ambroſius audiebat ipſe de celeberrima in Inſubribus Barnabæ prædicatione, ac de cruentis dimicationibus, quas hac in Urbe ſubjerant Chriſti milites: veruntamen incenſis hieraticis chartis, ac deperditis, ut dixi, Martyrum Commentariis, neſciebat ipſorum nomina, acta, & ſepulchra; tametſi plurima pars inhumata, flammis, feris, fluminibus, ac ſterquiliniis abſumpta jam perierat.

7 Huc confer Opuſculum Patris *Anſaldi*, quod bono alite Cardinalis Quirini, è typis Mediolanenſibus jamjam evolat ſub titul. -- *De cauſſis inopia Veterum monumentorum, pro dignoſcenda Martyrum copia.* Præter Diocletianum, cauſatur ibi Vir

Sa-

Sapiens Tyrannos omnes, qui formidoloſiſſima, & otio infeſta litterario Prima Secula effecére. Quid enim magis tum erat cavendum, quàm ne viderentur indulgere calamo, tradituri ad imitandum poſteris Martyrum gloriam, cum æviterna conjunctam infamiâ Tyrannorum; qui quoniam ex ipſa crudelitate ſibi quærerent clementiæ, ac religionis laudem, herclè deprehenſis hujuſmodi Libellis, quantam exarſuri in inſaniam fuiſſent! quas in iras, furiaſque erupturi? Nobis etiam idem *Anſaldus* ad conſiderandum proponit vetera Chriſtifidelium latibula, intercepta commercia Eccleſiarum, difficillima trepidis tum rebus omnibus, litterarum ſtudia; eòque demum ratio deducitur, ut certiſſimum fiat, pacata poſtmodum Chriſtiana re, factâque omnibus ſcribendi facultate, conſulendas omnino fuiſſe Traditiones Patrum, ut Calendaria, Menologia, Martyrologia concinnari quopiam modo poſſent. Hactenus de Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tenebris, quæ Quartum Seculum premebant, ut eò mirabilior habeatur, ſi qua nobis inde lux affulſerit.

8 Secula verò planè barbarica Quintum, ac Sextum utinam plures tuliſſent Hiſtoriographos, qui Traditiones a Patribus acceptas diligenti conſignaſſent calamo, aut ſi tulére aliquos, utinam eruditos ipſorum labores non ob triviſſet ruina Urbis toties excidium paſſæ! Audiendus eſt hoc loco ſæpè laudatus *Bonaventura Caſtilionæus*, Ambroſianæ Imperialis Baſilicæ, cujus et ego ſum Canonicus ad honorem, Antiſtes. Fuit is doctrinâ, ac probè moratâ vitâ: qui quum defixo aliquando obtutu hæreret in S. Carolum adhuc impuberem, divinavit ipſum fore Mediolanenſis Eccleſiæ Reparatorem. Eminet ejus epitaphium in porticu Baſilicæ ad arcton verſa.

Felix, atque ſuo dignus, qui nomine vixit,
Hic Bonaventuræ contegit oſſa lapis.
Cui decus, & ſacræ tribuit præconia laudis
Doctrina, ingenium, ſtemmata, vita, labor;
Hæreſeos vindex, & Religionis amator,
Et ſacer Ambroſii Præſul in æde fuit.
Julius hos cineri dedit, & Gaufridus honores,
Ut patrui, & luctus ſint monumenta ſui.
Vixit ann. LXVIII. men. II. dies III.
Obiit IV. Idus Julii MDLV.

Is igitur exacti Vir judicii, emunctæque naris, ſtatim in Prologo, ſcripturus Acta primorum decem, qui Barnabam ſubſecuti ſunt, Mediolani Præſulum, hac ad præfandum excuſatione utitur. *Furono le Vite de coteſti Santiſſimi Veſcovi di Milano con le Storie della Città noſtra, nella ſovverſione per Athila, e poco appo lui, de Gotthi diſperdute; nelle quali gli alti edifizj con le magnificentiſſime ſtrutture Romane vennero al meno, non che ſmarrite le memorie della Chieſa di Milano ſcritte. E ſe per avventura fuor di sì periglioſo naufragio conſervaronſi qualche ſegni, e veſtiggi di mano de Hunni, e de Gotthi, delle antiche memorie noſtre, nella miſeranda rovina di Federico Barbaroſſa, tutto entro il germanico baratro trabboccarono.*

9 Etſi verò etiam habuiſſet aliquot Urbs noſtra Annales patrios; rara admodum eſse debuerint exempla, quo tempore in membranis erant ſtylo exaranda operoſiore, ferroque intenti contra Barbaros, non uſum modo calami ſcriptorii, ſed ipſam quoque linguam maternam dediſcentes Itali, in Scythicos mores abibant. Pauciſſimis autem iiſdem exemplis, quot ſuperandi fuere caſus, ex tanta longinquitate Seculorum ad nos aliquando perventuris! Sileo occidiones, everſioneſque, quas per Alboinum, Vitigetem, & alios inennarabilium Barbarorum Ductores, perpeſſa eſt Civitas noſtra, toties in acervum congeſta, ac revoluta ruinarum, ut ipſæ etiam tandem ruinæ perierint contritæ, ac conſepultæ; vixque in hac Roma Altera, quodpiam Romanæ veſtigium majeſtatis reperire ſit.

10 Unum illud ex pluribus incendium reminiſcor; quo quum cerneret *Arnulphus* (a) anno 1075. indictione 15. *ſecundâ hebdomadis authentica feriâ*, collapſam æſtuare in ignes totam latè Urbem, negavit ſe Mediolanum videre, ſed nigrum quendam titiónem. *Horreſco referens &c. Celebratis Miſſarum ſolemniis, in Vrbis apparuit medio, denſa fumus caliginis, flante ventorum violentiâ nimiâ, per aerem volitans; quem ſequebatur vapor flammivomus, inter Cœlum, & Terram univerſa conſúmens &c.* Tum flammis incubuiſſe narrat Cathedralem utramque, Æſti-

(a) *Arnulfus Lib. 3. cap. 22. Tom. 4. Scriptor. Italic.*

Æſtivam Theclæ, & Hyemalem Sanctæ Mariæ, ſimulque tres inſigniores conflagraſſe Laurentii, Nazarii, Stephani Baſilicas, atque alias intus, & extra mœnia, cum ipſis mœnibus. *O dolor! iterum, iterumque dolor!* Verba hæc ſunt ad rem conſideranda Arnulphi ipſius teſtis oculati, amariſſimè complorantis incendium Sacræ Bibliothecæ: *Mille talenti auri, LIBRORVM damno nequeunt comparari.*

11 Anno denique 1162. Ænobardus, necdum reparato priore infortunio, Mediolanum attrivit extrema clade; diſcerptumque velut in fruſta tantæ Metropolis cadaver, turrium, ac murorum pinnas, ſculpta marmora, literatos lapides diſſeminavit toto agro, atque in fœderatas ſibi Civitates, in Oppida, ac penè vicatim diſtribuit, ut eſſent diræ vaſtationis horribili monumento.

12 Utcunque verò modis tam miris peſſundata re hiſtorica, TRADITIO nihilominus de Italica Barnabæ prædicatione, iis quoque tenebricoſiſſimis temporibus adeo clara, celebris, famoſa, & apud omnes recepta erat, ut eam audierit procul ab Italia degens in Inſula Cypro ALEXANDER MONACHUS Quinti Seculi auctor, atque in ſuis tabulis conſignarit; quas ego Capite Nono perquam lætanter exponam. Dein Traditionem eandem apud Latinos æquè, ac Græcos propagatam excepére Catalogi noſtrorum Præſulum, Sexto (utì cenſet *Henſchenius*) & inſequentibus Seculis confecti; quos ſuis aptè locis interſeram, ad demonſtrandum, quantò plura Barnabæ ejuſdem apud Italos verſati monumenta, edax ævum abſtulerit.

13 Etenim Res Hiſtorica univerſim, ut dicebam, ab Quinto Seculo tam parca nobis reliqua eſt ex malignitate temporum, & injuriis Barbarorum, ut ea ipſa, quæ typis excuditur voluminoſiſſima, itemque exactiſſima Collectio Rerum Italicarum a Primo ſtatim Volumine decurrat ad Seculum Octavum, movendique fuerint loculi penitiores, ac retruſi, ut ex univerſis conſarcinari ſegminibus poſſet, ac ramentis Tomi Primi Pars Altera. Inibi verò Eccleſiaſtica eruditio vix attingitur ex fimbria, occaſione rerum bellicarum, aut civi-

lium adeo, ut ſi ſtandum iis foret, de Barnaba longè minus, quàm de Syro, aliiſque Ticini, ac Mediolani Præſulibus anceps ſim; quos tenebræ obſident eædem, imò èt graviores multò.

CAP. VIII.

Tandem probatur retrogrado ordine Chronologico antiquitas Traditionis de excurſu Barnabæ in Italiam, ejuſque in Ciſalpina Gallia, prædicatione.

1 HIs ita compertis, venio ad Bacchinum ſeſe in hæc explicantem verba. *Nil reperire eſt in Eccleſiaſticis monumentis, quæ uſque ad OCTAVI Seculi tempora ſunt conſcripta.* Sua igitur ſponte, & ultro confitetur Sapientiſſimus Abbas, Traditionem, de qua agimus, OCTAVO jamdudum Seculo viguiſſe. Ecquid optatius ad firmitatem poſſeſſionis noſtræ, quàm certa Traditio Decem ferme Seculorum ſucceſſione, roborata? Haud enim plurimas nanciſcáre tantôdem ſeniô pares. Inde altiùs aſſurgens Traditio eadem mergitur in opacam noctem, barbaricis tribus affuſam Seculis, eò etiam ſuffectura magis, ut efficiat poſſeſſionem originis immemorandæ; pro qua jura clamant omnia, ſilentibus utlibet, vel deperditis Veterum tabulis. Quamvis autem, Actore ultro confitente, ſupervacaneum eſt probare id, quod Reus intendit; proferam ego nihilominus Scriptorum ſeriem retrogradam ad uſque OCTAVUM Seculum: quam èt deinde impellens ſupra Sextum, ac Quintum, denique in ævum ipſi Barnabæ proximius urgebo.

2 Et primùm *Landulphus* ille *Senior* (a), qui Seculo adoleſcente Undecimo vitam orſus eſt, Lib. 2. recitat orationem

S. *Be-*

(a) *Landulph. T. 4. Scriptor. Ital. Lib. 2. Cap. 15.*

S. *Benedicti* Mediolani Metropolitæ perquam acerbè conquerentis, demptum ſibi jus inaugurandi Ticinenſem Epiſcopum. *Ego Benedictus Archiepiſcopus Mediol., cauſam noſtræ Eccleſiæ, quæ Dei diſpenſatione, & Beati Apoſtoli Barnabæ doctrinis, & miraculis refloruit &c.* Et infra. *Cathedra Mediolanenſis ab ipſo Apoſtolo exaltata &c., quod reperimus in noſtris ANNALIBVS*. Oratio hujuſmodi ſi verè manaſſet ex ore Benedicti, Sedem hanc ingreſſi, anno circiter 681., rem apprìmè factam haberem ex voto Bacchini, aliquem a nobis Octavo priorem Seculo teſtem expoſcentis. Veri tamen ego ſimilius autumo (quod èt Sapienti (a) Muratorio videtur) ejuſmodi querimoniam ex figurа ethología fuiſſe compoſitam ita, ut dixerit Landulphus, quæ Benedictum dicere par erat in tali re, ac tempore. Quod ipſum tamen dignoſcendo eſt, Landulphi ætate, Seculo nempe XI., certam fuiſſe, ac pervulgatam Traditionem de Eccleſia Mediolanenſi ab hoc Apoſtolo inſtituta. Quis enim credat, hominem deſipuiſſe tam apertè, ut, cujus induerat perſonam, cauſſamque peroraret, eidem adfingeret incredibilia, ac fidei, famæque abſona? Imò Landulphus ſic loquens ex perſona Benedicti, pro certo habuit, eos ANNALES extitiſſe jam ante annum 681., quo allegatos a Benedicto fuiſſe dicit; alioquin ridicula fuiſſet Oratio, teſtes allegáns nondum natos. Ego verò Landulphum audire malim Seculi Undecimi Scriptorem, qui nobis affirmat, antiquiora Septimo Seculo hac de re viguiſſe ſcripta, quàm Patrem Bacchinum, ſex a Landulpho poſt Secula natum, ac mecum in hac ipſa Bibliotheca ſæpè verſatum, qui negat, Octavo citius Seculo indicari teſtimonium poſſe. At de his infrà.

3 Abſque dubio tunc præ oculis habuit Landulphus vetuſtiſsimum illum Codicem, quem ipſe ibidem innuit per hæc verba: *ùt in Annoſo Libro de Situ Mediolanenſis Civitatis comperi*. Quo ſub titulo primævi laudantur Mediolani ſex Hierarchæ Barnabas, Anathalo, Cajus, Caſtritianus, Calimerius, Monas; prout habet Tomi Primi Pars Altera Scriptorum Italiæ; ubi Annoſus idem Codex adſpexit lucem, ope Muratorii

(a) *Murator. Anecdot. T. 1. Appendic. Cap. 5.*

torii ſic præmonentis fol. 200. *Si annoſus erat hic Liber vel circiter annum* 1051., *quo nomine eum Landulphus memorat; quis tandem non intelligat referendam ejus originem ad Seculum Decimum, vel etiam Nonum Æra Chriſtianæ?* Iterum ibi Landulphus teſtatur eundem Codicem longævum *in deſcriptione adventus Apoſtoli Barnabæ, & S. Anathalon Vitâ*; ex qua in laudem Patriæ hæc delibat. *Poſt Romanam Arcem famoſiſſima jam tunc habebatur Civitas ſæpedicta Mediolanum; quippequæ pari ditione ſublimis &c.*: quod pervelim obſervet iterum Pater Bacchinus, qui in origine Epiſcopali Papiam, Veronam, ac mediocres quaſque Urbes Mediolano antefert, minimè videns, qui mos Apoſtolis fuerit, ut in ſublimiora attollerent eò faciliùs emanaturum ad circumſita loca, Evangelicum jubar; ùt aliàs repetitum eſt ſatis.

4 Tum Landulpho etiam obverſatas exiſtimo quaſdam Hiſtorias, quæ in Catalogo Pontificali noſtro vel ſcribi, vel ſuppleri deſito ſub annum 1250., indigitantur ſic. *Legitur in antiquiſſimis Hiſtoriis, quæ hodie habentur in Civitate Mediolani, quod ipſe Beatus Barnabas ad Urbem Mediolani tranſtulit ſe &c.* Catalogum hunc inſevit Clariſſimus idem Muratorius *Tomi* 1. *Parte* 2. *Scrip. Italic.*, hæc ibidem ſcitiſſimè prænotans fol. 200. *Hiſtoria hæc, quum antiquiſſima ab antiquo Scriptore appelletur, ſaltem ad annum a Chriſto nato milleſimum elucubrata videtur.*

5 Neque Landulphum ii quoque Codices fortaſſe fugerint, quos adjurat Galvaneus de la Flama in Exordio ad Chronicum Majus. *Invoco Teſtes: Auctores innuo; quia nihil, niſi eorum dictum ſcripſi. Legant priùs, quàm judicent: quærant originalia in locis infra taxatis. Nomina librorum, & loca, ubi inveniri poſſunt, hoc ordine ſunt connotata.* Et poſt aliqua, *In armario S. Euſtorgii* SanDominicani Ordinis, ubi idem agebat Pater Galvaneus *I. Hyſtoria Martyrum de Mediolano. II. Hiſtoria Beati Barnabæ. III. Chronica Epiſcoporum de Mediolano. IV. Hiſtoria Eccleſiaſtica &c.* Proh fatum, cui ſerò nos occurrimus! Luridi quicquid charactéris membranaceum olim erat in hoc tablino, venum pondo bibliopólis ivit, ad conficiendos librorum cortices.

6 Ad-

6 Addo Carmina, quæ *Beroldus* Landulfo æquævus, aut ſuppar hauſit ex vetuſtiori.

Mediolanenſis præclarus Barnabas Urbis
Præſul Pontificem ſibi conſacrat Anathalonem &c.

Addo èt Leoninos verſus, ſeu rythymicos de S. Barnaba, quos recinit Flama M. S. Bibl. Ambr. Extravag. Cap. 119.

Hic primus Antiochiæ, & Romæ fidem docuit,
Et Lombardiæ Urbibus Mediolanum prætulit &c.

Sæpius etiam potuit Landulfus inſpexiſſe marmor illud proſtrans ad Fontem S. Barnabæ; quod Ænobardica demerſum clade memorat *Bonaventura Caſtilionæus* M. S. in Vita S. Barnabæ. *Preſſo de Milaneſi nanti l'ultima rovina di Milano, ſtavano letere antiche ſcolpite in marmo, quali facevano memoria, che BARNABA' Apoſtolo, fu il primo, che annontiò l'Evangelio di Geſu Chriſto in Milano, vi celebrò la prima Meſſa a Capo del Fonte non molto doppò per Cajo, terzo Veſcovo noſtro, diſcepolo ſuo, conſacrato.*

7 Eos quoque Landulfus legerit fortaſſe Annales Patriæ, quos ciet Michael Picolpaſſius *M. S. Bibl. Ambroſ.* ſub titulo: *Chronica vetuſtiſſima Archiepiſcoporum Mediolanenſium reperta apud quendam Nobilem de Lampugnano, ubi legitur: Barnabas Mediolanenſis Eccleſiæ primus Archiepiſcopus*: ſive quæ recitat Gotifredus de Buxero, aut etiam *Chronica Apoſtolorum* memorantia, primum Evangelii ſemen a Divo Barnaba ſatum in Inſubribus: quæ Chronica tantæ erant antiquitatis, ut ea velut antiquiſſima atteſtetur apud Jo: Antonium Caſtilionæum (a), *Paganus*, auctor èt ipſe perantiquus. Porrò quanta foret Pagánæ ejus hiſtoriæ vetuſtas, docet alter *Caſtilionæus* ſæpè laudato nomine *Bonaventura* loco mox citato. *In la Chronica di* Pagano, *della quale fanno menzione diverſi Scrittori oltra quattrocent' anni, e ſi leggeva per autentica, narravaſi, come Santo Barnabà foſſe il primo, che annontiò il Verbo di Dio in Milano; teſtificando eſſo* Pagano *da onde aveſſe cavata queſta hiſtoria.* E dopo. *Nella Chronica di* Leone, *e in altre ſcritta, quali non tengono titolo, ſi legge chiaramente, che giunto a Milano da Roma l'Apoſtolo per entrare la porta della Città, avvertito*

(a) *Apud Jo: Anton. Caſtilion. M.S. in Bibl. Ambr.* Onori Sacri di Milano.

tito il Sant homo d' uno certo Editto, che qualunche entraſſe, fuſſe tenuto per riverenza del Idolo, qual ſovraſtava a la porta, inchinare il capo, che l'Apoſtolo ſolo per fuggire la falſa adorazione, rivuolſe il paſſo, pigliando il camino drieto alla mura della Città, così diſponendo la Divina providenza, ch' eſſo doveſſe avere ricetto a quello Sacro Fonte deſſignato in lavacro de peccati di noi Milaneſi, al quale giunto, e fermato Barnabà (dice eſſa Scrittura) che cominciò annontiare l' avenimento del Figliolo di Dio eterno homo, e Dio al Mondo per univerſale redentione, e che alle prediche ſue, ſeguendo li miracoli, molti ſi convertirono all' Evangelica dottrina. Si faceva mentione ancora in eſſe minuzze di Chronica, che il detto Apoſtolo al capo di eſſo Fonte dricciò un altare a Chriſto, e lo conſecrò, celebrandovi la Santa Meſſa, e vi comunicò alchune ſingolari perſone &c.

8 Hinc in Ævum altius provehor. Ecce autem adoleſcente Seculo Decimo, *Bartholomæus de Secundis*; ex quo Salvator Vitalis fol. 414. hoc nobis inſigne teſtimonium reponit. *In Italiam venit Sanctus Barnabas, & in Liguria prædicavit, & Mediolanenſem Eccleſiam erexit &c.* Et infra. *Reverſus eſt in Aſiam, relicto ſucceſſore Anathalone viro Sancto, Græca de natione.* Et ad calcem. *Scripta ſunt hæc anno Domini Noſtri Jeſu Chriſti DCCCC. XXXVIII. in Civitate Alba die XV. Febbruarii per me Bartholomæum de Secundis.*

9 Hoc ſeſe loco innectendum ex Bibliotheca Ambroſiana profert laudatus Codex: *De Situ, & Vocabulo Urbis Mediolanenſis*, ſeu titulo rei magis conſentaneo: *Vita priorum ſex Mediolani Antiſtitum Barnabæ, Anathalonis, Caji, Caſtritiani, Calimerii, & Monæ.* Daniel Papebrochius Tom. 7. fol. LIV. *Hiſtoria*, inquit, *primorum Mediolani ſex Epiſcoporum Barnabæ, Anathalonis &c. SEXTO circiter Seculo compoſita.* Idipſum repetit ad diem XI. Junii; tametſi Cl. Muratorius aliter definit ejus Scriptoris epocham Tom. 2. Part. 2. Script. Italic. fol. 200. *Perquam veſtutus mihi quoque videtur hic Codex, eumque Seculo NONO, vel ſaltem Decimo floruiſſe puto.* Cenſor gravis Michael Picolpaſſius, dum Librum eundem exſcribebat anno 1438. (a), opina-

(a) *Tomi Primi Parte Altera Rer. Italic. fol. 218. C.*

opinatus eſt a Severo Sulpicio concinnatum: quam opinionem recitat Puricellius *Nazarian. Cap. 2. fol. 4.*: at latiorem ipſe injens ſemitam, idem Opuſculum ſiſtit inter Hieronymi, & Anaſthaſii Bibliothecarii tempora.

10 Equidem profitetur ibi Michael, ea ſibi decerpta eſſe *ex veternoſis Codicibus, qui apud Bibliothecam illuſtriſſimi Pontificis Ambroſii, pulverulenti, & tineati jacebant*, ſcilicet in Archivo Ambroſianæ Imperialis Canonicæ. Sapiens Lector, ut ex natura ſtyli deprehendas Auctoris epocham, quæſo deguſtes aliquid veternoſi ejus Codicis. Titulus ex Puricellio ſic habetur. *Incipit Hiſtoria de Situ, & Vocabulo Urbis Mediolanenſis, ſeu Beatiſſimi Apoſtoli Barnabæ viſitatione ad eandem divinitus directa; nec non de Venerabili Viro Anathalon, ejus Coapoſtolo, atque coætaneo, ab eodem Epiſcopali benedictione inibi conſecrato; vel quibuſdam ejus Succeſſoribus.* Tertio deinde loco ſubſuitur: *De adventu Barnabæ, & Anathalon, & prædicatione Verbi Dei ad Populum*; quo ſub Articulo, poſtquam ex Actis Apoſtolorum, enarravit Barnabam a Paulo digreſſum, reverſumque Antiochiâ ad Cyprios, mox ſtylo planè Severum Sulpicium ſonante, proſequitur eundem Barnabam ab Cypriis navigantem ad Italos. „ Igitur ſeparatus corpore, non ani„ mo Barnabas a Paulo, Cyprum patriam repetiit Inſulam &c. „ Hanc ergo adnavigans Apoſtolus Chriſti, & Gentium didaſ„ calus Barnabas &c. poſt multum denique temporis aſcen„ dens navim cum aliis, quos ipſe inſtituerat, Chriſtianæ Fi„ dei cultoribus, Urbem adiit Romam, velut totius Orbis domi„ nam inviſere cupiens &c. Stanſque in loco Urbis celeber„ rimo, ubi Romani Populi concurſus crebior habebatur, pri„ mus ex Apoſtolis liberè proteſtans inopinatum Filii Dei vivi, „ & veri adventum Romano cœtui proclamavit. Quo audito „ quidam adſtantium ridére, & ſubſannare hominis ruſtici „ verba impolita: quidam libenter his, quæ ipſe fatebatur, „ annuere &c. Inter quos Clemens, qui poſtea Romanam „ Sedem Tertius a B. Petro naviter gubernavit, quique ejus „ rei, quem narro, in ſua de ſemetipſo Epiſtola meminit (*hæc Epiſtola non extat, niſi fortè iidem ſint, de quibus infrà,*

Recognitionum Clementinarum Libri) Quo in tempore idem „ Chriſti miniſter Barnabas beatiſſimus nugantium inſi„ dias, & malignantium calliditates declinans, totas cæpit cir„ cumcirca perluſtrare provincias, cœleſtis Regni gaudia cre„ dentibus pollicendo, aſſertioneſque ſuas non argumentorum „ fucis, ſed dulcium prædicationum ſimplicitate non ficta „ muniendo. Et quoniam poſt Romanam arcem, famoſiſſima „ jam tunc habebatur Civitas ſæpè dicta Mediolanum, quippe „ quæ pari ditione (*recole, quæ diximus, num tanta „ Urbs Papienſi fuerit, aliiſque longè minoribus poſthabenda*) „ ſublimis, ſecunda poſt ipſam, ut præfatus ſum, Auguſtales „ Occidui Imperii infulas retentabat, ad eandem aſſumtis in „ prædicationis exequendæ miniſterium ſodalibus, maximè„ que Anathalone quodam, genere Grajo, ſed morum pro„ bitate, & Fidei vigore præcipuo, curſus ſui tramitem „ deſtinavit. Interea ſupratexatæ Urbis mœnibus introgreſſus, „ & aliquot in ea moratus diebus, adtendit ibidem..... po„ ſtea profitebatur quoſdam ex plebe, dum veritatis ſermo„ nem ediceret, libentiùs audientes, quoſdam autem ingenti „ primùm ſtupore perculſos, & incredibilia ſibi, quæ narra„ bantur, videri alterutris innuentes. Tum ille, ut erat vi„ ſcerum miſericordiâ plenus, compaſſus utriſque, in lachrymas „ reſolutus eſt; iſtos enim, quos tetra caligo infidelitatis cæ„ caverat, ad lucem revocare cupiebat. Illos verò, qui ad „ audienda verba Dei, velut ad pocula ſitibundas fauces ad„ tulerant, fonte perenni deſiderabat implere. Hortatus ergo „ ſocios, ut Divinum ſupplices adeſſe implorarent auxilium, „ & apud quem eſt fons vitæ, & in cujus lumine videbimus „ lumen, illius freti juvamine opportunè, & importunè vias „ vitæ moribundis pandere non deſiſterent, proteſtans eis Di„ vinæ voluntatis indicium, & quod non abſque emolumen„ ti cumulo, cœleſtia eſſet talenta largiturus, evidenter inſi„ nuans. Igitur dum ipſe ibidem Verbo Dei operam daret, „ haud mora complurimi ad Chriſti fidem convolarunt. Tum „ alloquens Anatalon æquè Apoſtolico dogmate fartum: PER„ GE, inquit, ab Urbe hac ad Orientalem verſus plagam

„ lapide

„ lapide ſexageſimo Brixiam, quæ eſt alpibus contigua, civi-
„ buſque ejus ſalutaria verbi pabula impertire (*Et poſt multa*)
„ Orans ergo Barnabas, & imponens illi manus, Epiſcopa-
„ lem deinceps curam vigilanter exercere juſſit inter Medio-
„ lanenſes, & Brixienſes accolas. *Demum huic Capiti coro-*
„ *nidem imponens*: Hucuſque, infit, de primis Eccleſiæ Me-
„ diolanenſis propagatoribus, prout parvi tulit captus inge-
„ nii ex diverſis collecta utriuſque linguæ paginis, ceu diſco-
„ lor in amænis ſolet pratis compingi coronula, ſatis ador-
„ naſſe, & conglutinaſſe ſufficiat „ . Hæc affatim ſunt ad odo-
randum ex natura ſtyli, auctoris ſenium.

11 Huc accedit etiam *Paſſio S. Barnabæ Apoſtoli* per Boninum Mombritium excuſa typis; quam conferens Papebrochius (a) cum manuſcripto in Gallia reperto: *Noſter hic*, infit, *Codex in Gallia ſcriptus videtur ante annos ſeptingentos*. Decimum ergo Seculum proculdubio ſuperabat ætas auctographi, cujus ecgraphum ſeptingentos jamdudum annos vincebat. Is autem, quiſquis tandem fuerit, anonymus Scriptor, poſtquam ex Apoſtolorum faſtis ſummatim expoſuerit anteacta in Orientem Barnabæ cum Paulo itinera, prolixiùs inde reliqua aſſectatur. *Hucuſque Beati Barnabæ glorioſum agonem, & veneranda magnalia declarantes ex autentica auctoritate Lucæ Evangeliſtæ, ut prædictum eſt, breviter deflorare curavimus. Sed quia* (attendat Allixius, cur Barnabæ excurſum in Italiam reticeant Sacræ Paginæ) *idem Lucas ſequendo Beatum Paulum Apoſtolum, Sancti Barnabæ finem cernere non potuit, cætera, quæ ſequuntur in aliis actibus autenticis reperiuntur, de quibus aliqua hìc breviter inſerenda duximus. In diebus Apoſtolatus ſui Beatus Barnabas, comitantibus ſecum Fratribus, Romam venit &c.; cumque ipſo illic exiſtente, de pleriſque locis, & Civitatibus mentio haberetur, audivit inter alias nominari Imperialem* (qualis tamen reipſa fuit dumtaxat ſeneſcente Seculo III.) *ac celebratam Civitatem Mediolani. Atque illuc proficiſcens feſtinare diſpoſuit, ſumpto ſecum Sancto Dei Viro Anathalone, comite fideliſſimo, cum aliis quibuſdam æquè ſociis in miniſterium Evangelii.*

I 2

(a) *Acta SS. XI. Junii fol. 425.*

gelii. Cum igitur Mediolano Beatus Barnabas Evangelium prædicaret, & inſiſtens prædicationi operam daret, cooperante Domino, magnam illorum civium multitudinem in brevi convertit, & ad veritatis fidem adduxit.

12 Gradum iſthinc ab Decimo Seculo ad NONUM, & ultrà moliens, auctorem nanciſcor planè gravem. Hic eſt Vercellarum Antiſtes *Buringus*, ſeu Baringus; cujus Homiliam nobis ad rem ſuppeditat Marcus Aurelius Cuſanus (a): *Primùm Fidei Myſteriis Dei benignitate jam imbuti eſtis uſque ab initio naſcentis religionis, quo ſcilicet tempore Sanctus Barnabas Apoſtolus in omni ferè Inſubria, & Liguria Evangelium diſſeminaverat.* Buringum hunc ſtatuit Ughellius ſub Hadriano certè primo, non, ùt mendosè in typis, altero; nam tertius numeratur Buringus ante Cunibertum, qui in Cronotaxi Vercellenſium Antiſtitum, obiit ante annum 795.; Hadrianus verò hujus alter nominis, Romæ ſedit haud ocyùs anno 867.. Ergo Buringus Hadriano primo coævus perneceſſe floruit ſub annum Seculi Octavi 72., quo primus ille Hadrianus Sedem iniit. Buringi Præſulatum annis, factiſque Caroli Magni innectit idem Cuſanus *Diſcorſ.* 29., allegatis ibi Vercellenſis Eccleſiæ antiquioribus tabulis, & Chronicis Neuclerianis.

13 Octavum jam, ac Septimum prætergreſſi, ecce tandem SEXTUM inſcendimus tenebricoſiſſimum Seculum, Barbaricis ruptum clamoribus, muta, ac ſtupente Hiſtoria. Ex ea nihilominus litterarum tantâ, rerumque omnium tempeſtate, ſoſpitem habemus Tabulam noſtrorum Præſulum; de qua quid ſentiat Papebrochius, accipe ex ejuſdem Exegéſi Tom. 7. Maij fol. LIV. *Inter antiquiores Ambroſianæ Bibliothecæ Codices, unus membranaceus perantiquus continebat &c. nomina Epiſcoporum Mediolanenſis Civitatis, unâ eâdemque manu, ſed non eodem ſtylo ſcripta omnia &c. Porrò in antiquiori, & potiori parte triplex notari poteſt ſtylus ſic, ut primum membrum pertingat uſque ad tempora Longobardorum, & Seculum Chriſti SEXTUM. Hunc Catalogum Gotifredus Henſchenius* (Vir incomparandæ

(a) *Cuſanus Diſcorſ. ſtoric. di S. Euſebio Part. 1. fol. 3.*

parandæ auctoritatis) *dignum cenſuit, quem manu ſua totum exſcriberet. Ego adhibito examine, inveni eſſe accuratiſſimum, ſolidumque in eo fundamentum ad totam Mediolanenſem Hiſtoriam rectè ordinandam* -- hæc carptim ex tota Præfatiuncula; folio autem ſequenti, ubi idem promitur Henſchenianæ manus ecgraphum, Papebrochii notis illuſtre, queis abſque negotio èt ea ſolvuntur, quæ extra cauſſam *Mabillon*, ac *Tillemontius* implicant ſuper epocha primorum Mediolani Antiſtitum, hæc habentur. *Sicut Romana Eccleſia a temporibus Sancti Aniceti*, qui Pontificatum eſt orſus anno 165., *cœpit habere, præter Dyptica, Epiſcoporum Catalogum, cui ultra nomina ſingulorum, etiam inſcriberetur, quo quiſque ſediſſet tempore: ita èt Mediolani hujuſmodi Catalogus ſcribi cœpit ſaltem ante SEPTIMUM Seculum Æra Chriſtianæ.*

14 Ne verò quemquam decipiat Clariſſimi Muratorii (a) ſumma auctoritas, moneo alium eſſe Catalogum, de quo agimus, plures centum Epiſcopis Mediolanenſibus complexum, cujus prima ad Seculum SEXTUM pars refertur, ſive, ut ait Papebrochius, *ante Septimum Seculum Æra Chriſtianæ*: alium verò eſſe omnino diverſum, quem primores tantùm ſex Epiſcopos continentem retrahebat idem Muratorius ad Seculum Nonum. Præterea in hoc Catalogo, quem èt inſpexit *Mabillonius*, (b) moneo, S. Anathalonem ſtatui primo loco, deinde Cajum, Caſtritianum; queis omnibus Cenſor noſter intentabat ſpongiam, ſi conſtitiſſet fides iis Syri Actis, rem præpoſtere ad Calimerium trahentibus. At conſultò prætermiſſum eſt ibi nomen Barnabæ; quippe qui Sedem apud nos minimè fixerit: neque potiùs noſtræ, quàm aliarum, quas evangelizando pertranſiit, Urbium, & Provinciarum communis fuerit Catechiſta, Epiſcopales erigens Cathedras in ſingulis ad Chriſtum converſis Urbibus, ac proprium cuique deſignans Antiſtitem, qui ſparſum in tranſitu Evangelii ſemen, conſtanti labore excoleret. Quocirca idem inibi Daniel Papebrochius agens de Anathalone in ſcholiis ad eundem Catalogum. *Primus hic*, infit,

(a) Murator. *Tom.* 1. *Part.* 2. *Rer. Ital. in Præfat. De Sita Mediol.*
(b) Mabillon. *Muſei Italic. Par.* 2. *pag.* 109.

infit, *Eccleſiæ Mediolanenſi à Sancto Barnaba Apoſtolo datus Epiſcopus Eccleſiam quoque Brixienſem fundavit, & ſimul utramque rexit*. Addo èt hoc: Catalogus, qui olim fuit Oberti Vicecomitis, a Puricellio ad uſum noſtræ Bibliothecæ exſcriptus, Anathalonem ſignat primum Mediolani, itemque Linum Romæ primum Pontificem: attamen ibi Petrum æquè Romanæ laudat, ac Barnabam Mediolanenſis Eccleſiæ Conditorem.

Satis jam Bacchino, ſuperque fecimus in eo, quod Auctorem popoſcerat Seculo vetuſtiorem Octavo. At egomet nondum mihi feciſſe videor ſatis, utpote cupidiſſimo dicæ hujus, quæ maximè poſt editum Tillemontium pullulat in ſciolis, eradendæ, & ad radicem injiciendæ falcis.

CAP. IX.

Ultra Bacchini vota, depromo etiam ab Seculo QUINTO Auctorem Græcum, editurus èt alios ipſi Barnabæ ſuppares, ac coævos.

1 QUintum (adtende Lector; jam enim ſcando in arcem auctoritatis ſummam) Quintum hinc invadenti mihi, & alia gradatim ſuprema quatuor Secula, occurrit ALEXANDER Monachus Cyprienſis M. S. ex Bibliotheca Vaticana; quem Latinum ex Græco Franciſcus Zenus, ac publici juris effecit iterum (a) Papebrochius. Is quanti pendat Græcum hunc Scriptorem, docet illico; & primùm definit ipſius ætatem ſic. *Cum corpus Apoſtoli Barnabæ primò repertum eſt anno* 478., *quando ſcribebat Alexander Monachus*. Et paulò ſuperiùs fol. 422. *Convincere non poſſumus aliunde evidentiùs, quàm ex Alexandro Monacho; qui non diu poſt inventionem Corporis Barnabæ, ſcribens in Cypro, cum adhuc recens eſſet hæreſis a Petro Fullone anno* 474. *ſuſcitata*.

2 Quid verò tandem ad rem noſtram perhibet Cyprius iſte Auctor? Quo circiter anno 478. divinitus patuit ſepulcrum Barnabæ, idem Monachus apud Salaminios, Cypri in Inſula pangendas pro concione ſumpſit Apoſtoli ipſius laudes. Et poſt multa, *Cum Divino*, infit, *Spiritu ductus Barnabas ab Urbe Antiochia egreſſus eſſet, Urbes omnes, & regiones peragravit, Chriſti Evangelium longè latèque diffundens; neque priùs deſtitit, quàm ad URBEM ROMAM omnium maximum pervenit*. De Mediolano, aliiſque Italiæ Urbibus ſilet Alexander: unam, quæ princeps Italiæ foret, apertè Romam indicat; quo quid validius ad noſtram cauſſam? Semel enim admiſſo in Italiam Barnabâ, nemo negat ipſum evangelizaſſe in Inſubribus: e contra

(a) *Papebroc. Acta SS. XI. Junii fol.* 455.

contra ſemel ab Inſubribus excluſo, nemo dicit eundem in Italia uſquam fuiſſe. Cardo difficultatis in eo vertitur, an in Italia, ac Romæ præſertim eſſe potuerit. Romæ enim eſſe potuiſſe ante adventum Petri, negat Baronius mox èt ipſe refellendus a Papebrochio. Cœterùm poſt ea tempora in Italiam veniſſe, Nobiliſſimamque in Inſubribus condidiſſe Eccleſiam Mediolanenſem, non modo nihil Baronius diſcrepat de hoc, ſed omnino profitetur idipſum conſtare fide certa, & indubitata. Sed hæc aliàs. Nunc maturè providendum eſt, ne quid objectari prudenter poſſit contra allegatam Alexandri auctoritatem.

3 Quid? Cyprius hic Quinti Seculi Auctor, mutuatus fortaſſe ea fuerit ex S. Clemente Papa Primo, cujus Opuſcula infarta ab hæreticis, quanti nobis eſſe oporteat, dicam poſt hæc. Sed ego impavidè, & conſtanter nego, Alexandrum Cyprienſem ſumpſiſſe quicquam ex Clemente Primo, qui anno circiter 91. Romanam tenuit Sedem. Opera S. Clementis ſolent hiſce ſub titulis lectitari ITINERA, PERIODI, RECOGNITIONES. Iſthæc Cyprius noſter nunquam legerat: fortaſſis ne audierat quidem extare in natura rerum. En teſtimonium Danielis Papebrochii cùm magni ſemper, tum in hac cauſſa ab ipſo ſeveriùs diſcuſſa faciendum plurimi. Sic enim ille ad diem XI. Junii fol. 423. præfatur in laudem iſtius Alexandri. *Dabo orationem Alexandri Monachi græcam &c. Eſt enim graviter omnino ſcripta; & quoad poſteriorem partem* (ubi agit de inventione Corporis S. Barnabæ) *ex certa ſcientia: quoad primam autem* (in qua de ejus vita, atque etiam de adventu in Italiam) *ex recepto tunc apud Cyprios ſenſu fundato in auctore Stromatum Clemente Alexandrino, qui anno floruit 220., ALIORUMQUE VETERUM SCRIPTIS, in quibus neque Periodi, neque Recognitiones Clementis* Romani valdè ſuſpecti. *Unde prædicatio Romana adſcripta Barnabæ plus Fidei accipit, utpote ex iſtis minimè ſumpta.*

4 Juvat huc reponere fideliter ipſa verba, quæ facit Alexander ſtatim in Præfatione, ad demonſtrandum, ſe nihil prorſus delibaſſe ex Clementinis iis dubiæ fidei ſcriptis, imo

nec

nec ea ſe vidiſſe unquam, & ne noviſſe quidem. *Defeſſa eſt oratio noſtra, dum ad admirabilem Divinum Apoſtolum laudibus exornare contendit &c. Earum igitur tractationem, ùt orationibus noſtris majorem omittentes, pauca quædam de ejus vita, & martyrio ab Auctore Stromatum Clemente, ALIORUMQUE VETERUM HOMINUM ſcriptis repetita, vobis, Venerandi Patres, exponam.* Græco huic Laudatori ne parari facilè poſset copia Latinorum Codicum, obfuit tum regionis longinquitas, tum ipſa paucitas ecgraphorum. Hoc citra dubium eſt: ſi Clementem inſpexiſſet Romanum Pontificem, haudquaquam ſiluiſſet ejus nomen in Prologo, multò memorandum potiùs, quàm Clementis nomen Alexandrini, Stromatum Auctoris, longè minus antiqui, neque tantundem allaturi auctoritatis, ac materiæ ad eam Barnabæ, quam toto niſu ordiebatur, panegerim adornandam. Etenim quantò admirabilior! quantò uberior laudatio ex Clementinis Recognitionibus, ac Periodis effluebat! quas ſi præ oculis habuiſſet examuſsim collimantes ad ſuum ipſius thema, nemo ſanus exiſtimet fuiſſe futurum, ut ingrato ſilentio premeret. Græcos igitur tantummodo Scriptores adhibuit Alexander ad ſuam orationem, nempe Stromata Clementis Alexandrini (quanquam is nihil de Italia meminit) *aliorumque Veterum hominum ſcripta*; qui proſpectantes ex longinquo attigerant res Italicas per ſumma capita; proindeque vix Romam Italiæ caput memorabant Apoſtoli noſtri concionibus illuſtratam.

5 Hoc, quod ſubdo, attendi velim, ac percipi diligentiſsimè. Illi omnes Hiſtorici, qui negant Romæ, pro certo affirmant, Barnabam Mediolani prædicaſſe. Exadverſo unus eſt nemo, qui ſi modo Romæ, vel uſpiam in Italia prædicaſſe fateatur, non ipſum quoque Mediolani id egiſſe confirmet. Imo Traditiones, Scripturæque omnes ferunt, hunc Apoſtolum ex omnibus Italiæ populis Inſubres, ac Mediolanum præcipuè luſtraſſe. Quocirca qui velit ipſum Mediolano, Inſubribuſque repellere, totâ eundem neceſſe eſt ab Italia removeat; quod eſt contra Alexandri, aliorumque, quos ciet ipſe, Veterum fidem.

6 Vereor, ne tota nondum vis hujuſce rationis pervaſerit animos. Evibranda eſt fortiùs, ac Dialecticorum formulis contorquenda. QUINTI igitur ille Seculi Sriptor Alexander, quæro, num Scripta noverit, quæ ſunt Clementis nomine inſignita, an verò prorſus ignoraverit. Si dicas ignoraſſe, iis ne dixeris uſum eſſe; ignotæ enim rei uſus eſſe quis poteſt? Sin verò cognoviſſe dicatur, ac præ oculis habuiſſe; inſto mordicus. Falſa ne credidit, an fide digna? Si primum: nemo credat, fidere Alexandrum ſcripto voluiſſe, abs quo tanquam ſpurio, falſoque fides abhorreret. Sin autem pro genuinis habuit, ac verè profectis ab ipſo Clemente, qui Barnabæ comes, & alumnus fuit; jam urgeo vehementiùs, & inſtauro idem dilemma. Rogo enim te, num ea Clementis opera ab Alexandro putes adhibita fuiſſe, an neglecta? Certè negligi non debuerant; quandoquidem ex iis & Apoſtolo ſumma laus, & ipſi Laudatori ſumma fides peti poterat. Reſtat igitur, ut dicendum videatur, Libros Clementis Romani magno uſui fuiſſe Alexandro in ea panegeri. Sed contra eſt manifeſtiſſimè. Nam ſi uſus tanto Auctore eſſet, ejus certè nomen non ſiluiſſet in Prologo, ubi multo minores alii Auctores expreſsè nominantur. Quid? Venerandis iis Salaminæ Patribus ad adſtruendam fidem, allegatur Alexandrinus ille Auctor Stromatum, duo poſt Secula natus: allegantur èt *aliorum Veterum* ſcripta anonyma. Ipſius verò Barnabæ Diſcipulus, idemque Ortodoxæ Eccleſiæ Princeps ſilentio præteritur?

7 Jam mihi non diſplicet eſſe moroſo, dum ſæpius hanc ingero eandem, & inculco ſine fine ſententiam. Quid! Confer textum Clementis Romani cum textu Alexandri Monachi. Profectò tam diſſonos deprehendas, ſibique contrarios, ut neutrum ab altero mutuatum fuiſſe certò, evidenterque conſtet. Namque Alexander deducit Barnabam e Cypro in Italiam diu poſt Aſcenſionem Chriſti. Clemens verò; dum adhuc Chriſtus inter mortales ageret: quod ipſum erat admirabilius, multoque alacriùs deprædicandum in ea concione, ſi tale quicquam noviſſet concionator Alexander. Sed de his etiam infra fortius, & luculentius.

8 Quo-

8 Quoniam ergo Alexander nunquam memorat Clementem ; atque ex adverſo minores alios memorat, ac ſequitur ipſi Clementi contrarios: quid ni dicamus, & perneceſſariò fateamur, Alexandro, quæcunque extarent, Clementis Opera incomperta fuiſſe, ac prorſus ignota, nihilque ex iis omnino hauſtum, ſed omnia, ut ipſe in Proemio diſertiſſimè confitetur, ſibi *ex aliorum* deſumpta eſſe *Veterum hominum ſcriptis*: quæ quoniam Vetera jamtum appellabantur eo anno 478., haud dubiè Seculô Tertiô enata, aut ſaltem Quartô exiſtimanda ſunt?

9 Si quis autem, quod abſit, nimiùm argutus audeat etiam dicere, vel ſuſpicari eas ipſas VETERUM ſcriptiones forſitan fuiſſe corruptas: tum ego tantam audaciam, virgis omnium cenſoriis plectendam ſiſto. Etenim Boni Superi! quid non liceat, ſi quæ Alexander Quintô Seculô, pro autenticis, ac ſincéris habuit, fas hodie cuiquam ſit temere ſuſpitioſo, ad incerta rejectare?

CAP. X.

Jam gradior in apicem ſummum Æræ Chriſtianæ, probaturus ex ſupparibus, & ſynchronis Barnabæ Italicam evangelizationem.

1 ALexandro duce, Quintum jam Seculum prætervectus, alacri niſu in altiora ſcando. Priuſquam verò tempus inſcendam illud, quod Apoſtolo noſtro proximius fluxit atra obſeſſum caligine; redeat ante oculos imago ejus, quam nuperrimè ex Hieronymo, Euſebio, cæteriſque apud Baronium dolebamus, Sacrarum terris omnibus ab Diocletiano imperatæ Scripturarum cladis Tertio labente Seculo; ac reminiſcamur, quanta iis ipſis, quæ ſoſpites evaſerant, ingeſta ab Novatoribus fermenta nequitiæ fuerint. Recolamus Paulini teſtimonium de SS. Gervaſio, ac Prothaſio in tantam oblivionem relapſis, ut nullus Seculo IV. vigeret honos, ipſumque oblivione deletum nomen eſſet. Incubabat Rei Hiſtoricæ nox tam cæca, ut ne memoria quidem extaret ulla de tam claris Eccleſiæ noſtræ Luminibus. Jubeat me modó quiſquam proferre e primis Quatuor Seculis ſcriptum aliquod, poſt mille tercentos annos; quo ſpatio racémus ille ex Diocletiani vindemia ſuperſtes exaruit, marmoraque obtrivit, nedum litteras vorax ævum, & immanis ira Barbarorum iterato ſæpè merſit excidio Urbis?

2 Dabo tamen operam, ut præſtem èt hoc, quod ne Bacchino quidem erat in votis. Petebat enim ipſe (quod ego jam abundè exhibui) Octavo quempiam, non autem Quarto, Tertiove priorem Seculo Teſtem, optimè videns Sapientiſſimus Vir, nihil non collapſurum in humanis, ſi tam veteribus eſſent calamis ſuſtentanda omnia. Verùm ut intelligas, quàm difficilem ſim tibi rem præſtiturus, intende animum ad hæc, quæ mox dicentur.

3 Sub

3 Sub annum 478. S. Anthemius Salaminæ Cypriorum Urbi maximæ præerat Epiſcopus: ignorabat ipſe ſepulcrum Barnabæ, quod penes ſe habebat miraculis circumſtrepens; & quod incredibilius videtur, ſuam neſciebat Cypri Inſulam fuiſſe ab hoc Apoſtolo efformatam; quamvis conſtare idipſum videretur ex faſtis Apoſtolorum libris. Narrat Alexander coævus Cap. 4., quemadmodum Fullo Patriarcha Antiochénus, & Arianorum nequiſſimus fautor, S. Anthemio diem dixerat, quo Conſtantinopoli in Concilio coram Zenone Cæſare adeſſet dicturus, quare Salamina cum tota Cypro ſubeſſe non deberet Patriarchali Antiochénæ Sedi. Queis anxio curis, metuentique Salaminio, ne tota ſimul Inſula concederet in Fullonianam hæreſim, nocte adſtitit S. Barnabas verè *Conſolationis Filius*, quo vultu, habituque deſcribitur ad eodem Alexandro Cap. 2. *Erat oris ſpecie valde gravis, ſuperciliis contractis, oculis hilaritatem præſeferentibus, non torvum aliquid, ſed grave quiddam præſehabentibus, & reverenter admodum deorſum ſpectantibus, oris honeſtas, & labia decora mellis ſuavitatem ſtillantia.* Quidni fluxiſſe mel Barnabæ in mellifluum videatur ejus ſucceſſorem Ambroſium, hæreditario quodam jure? Ergo in hæc verba Anthemium affatur. *Ego ſum Barnabas Diſcipulus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſegregatus a Spiritu Sancto, ut unà cum Paulo Apoſtolo electionis vaſe, munus Apoſtolorum inter gentes exercerem. Hujus rei ſignum hoc habeas: egredere extra Urbem, occidentem verſus ſtadiis quinque, in eam regionem, quæ Sanitatis locus appellatur (per me enim Deus in illo loco miracula efficit) & ſub arbore ſiliqua effodiens, ſpeluncam, atque arcam invenies; quoniam illic totum corpus meum conditum eſt, & Evangelium manu propria ſcriptum, quod a Sancto Apoſtolo, & Evangeliſta Matthæo excepi. Quoniam verò adverſarii tui ſurſum, & deorſum miſcentes omnia, & jura quædam objicientes, tecum diſputant, Antiochiæ Sedem Apoſtolicam eſſe contendentes: èt tu jus tuum illis opponas; èt mea, inquiens, Sedes Apoſtolica eſt; nam èt Apoſtolum habeo in Patria mea. His dictis, Barnabas diſceſſit &c.* Et paulò poſt. *Coacto itaque concilio, cum cauſſa tractaretur; adverſarii*

rii referebant ſua jura, quod Antiochéna Sedes Apoſtolica, & Patriarchica Sedes eſſet, ob idque contendebant èt alias Provincias ſibi ſubjectas eſſe debere. Beatus verè Anthemius paulùm moratus, contrà objiciens: ET MEA, inquit, SEDES APOSTOLICA FUIT, inde uſque a principio, & libertate honorata, qui èt Apoſtolum habeo in Patria mea integro corpore conſtantem, beatiſſimum, inquam, illum Barnabam, ſanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cum Anthemius expoſuiſſet, nihil loci adverſariis relictum eſt; cum Epiſcopi, qui præſentes erant, Anthemii orationem ſilentio confirmaſſent; adverſarii verò ipſi rubore perfuſi, muti remanſerint, reſponſo illo tam juſto perculſi. Hæc cum Imperator Zeno audiſſet, Epiſcopum Cypri ad ſe accerſiri juſſit, & de revelatione Sancti Apoſtoli Barnabæ diligenter ab eo quæſivit &c. Tunc Antiochénæ Urbis Epiſcopum Fullonem illinc expulit, & juſſit, ut impoſterum Cypri Epiſcopo, quod ad eam cauſſam pertinebat, nihil omnino moleſtus eſſet. Cætera aptiore infrà loco proſequar.

4 Interim quid tu, Sapiens Lector, ad hæc? De ſepulcro Barnabæ jam tum apud Cyprios, Quinto eo Seculo nulla apparebat ſcriptura: ipſa quoque traditio evanuerat. Mirum ſanè; præſertim quòd ad eundem Tumulum res miræ, ac ſalutares, *Terræ Salutis* indiderant loco nomen. Sed enim inhumatio clandeſtina facilè potuit in oblivionem abire. Quod autem prædicatio palam in platéis acta, & origo Apoſtolica Cyprienſis Eccleſiæ, cujus memoria celebris extare debuiſſet ad poſteros, jamtum excidiſſet ipſis Cyprienſibus, apud quos natus fuerat Barnabas, ac Martyrio coronatus, id ægrè caperet fidem, niſi auctor eſſet idem Alexander, qui aderat in rem præſentem. Nam ſi revera S. Anthemius noviſſet tale quicquam, ſuam nempe Salaminæ Eccleſiam fuiſſe ab hoc Apoſtolo initiatam, non opus habuiſſet cœleſti revelatione, nec tantopere trepidaſſet ad illud argumentum Fullonis, quod Apoſtolica Antiochiæ Sedes eſſet, neque Fullo ipſe argumento uſus eſſet tam futili, ſi ſciviſſet facile ſibi ab Anthemio poſſe reſponderi: *èt mea Cyprienſis Apoſtolica Sedes eſt*: quo reſponſo hæſit ille Patriarcha, velut e cœlo tactus. Haud diffi-

diſſimulo, id fortaſſe colligi potuiſſe ex Apoſtolorum Actis. Sed credi etiam poterat Barnabas in ea Inſula projeciſſe Evangelii ſemen ſine fruge; quod èt factum Romæ docet Papebrochius XI. Junii fol. 427.: ubi admiſſa Barnabæ evangelizatione ſterili, & infœcunda, negat parentem Romanæ Eccleſiæ Barnabam fore dicendum. Ex iiſdem Apoſtolorum Faſtis equidem conſtat, eum ad Cyprios bis veniſſe: primùm cum Paulo: deinde ſolum. Sed in prima expeditione nil memoratur aliud, præterquam converſio Sergii Romani, *Elymâ* nequicquam miraculis tentato: in altera dicitur navigaſſe Cyprum verſus, ſed non dicitur attigiſſe littus, quin, quod ſæpè contigit Paulo, aliorſum flante Dei ſpiritu, fuerit ab intento curſu abreptus.

5 Prodigialis hujus ignorantiæ potior fuit cauſſa deploratum toties illud, nec unquam ſatis Edictum Diocletiani; quo Scripta Eccleſiaſtica toto quæquæ haberentur Chriſtiano Orbe, partim abſumpta ignibus: partim metu provido retruſa in penitiſſimis loculis, nimiùm tuta emarcebant. Poſt Conſtantinianam pacem, aliqua emerſere e latibulis; ſed aliis poſtmodum ſuccedentibus infortuniis deperdita, ad nos quàm pauca pervenerunt! Ea verò neminem latet diriſſima ſtrages librorum ultima, quæ Græciam potiſſimè afflixit litterarum ipſam matrem; dum invectæ in Orientem Maomethides furiæ, nulli rerum infenſiores, quàm litterariæ, reliquos Græcorum dilacerarunt magnos, parvoſque Codices: quæ èt iis fortè calamitas obtigit *Veterum aliorum ſcriptis*, quibus, ùt dixi, utebatur anno 478. in Inſula Cypro, Alexander, Seculo Quarto, vel eo etiam priùs elaboratis, Italicum ita memorantibus iter Barnabæ, ut nihil clarius.

6 Quamobrem etſi mihi neque Bacchinus, neque prudens quiſquam imperet tam longævæ cujuſquam Scripturæ editionem; audeo tamen ego ex iiſdem caligantibus, ac penè mutis ætatibus proferre *Lucium Flavium Dexterum*, *Dorotheum*, *Hippolytum*, *Clementem Romanum*, dicturus poſtea, quid per hoſce effici, quamquam ſublectæ, ac temeratæ fidei Scriptores, velim.

7 Do-

7 Dorothæo Tyrrinenſi ſub annum 362. martyrium paſſo, quædam adfingitur De vita, & morte Prophetarum ſynopſis, Tomo Tertio Bibliothecæ Patrum inſita, ubi ſic fol. 427. *Barnabas cum Paulo Verbi Dei Miniſter conſtitutus, primus Romæ Chriſtum deprædicavit: poſtea Mediolanenſis Epiſcopus factus eſt*. Hanc in fictitiis reponit Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sacri verò Palatii Magiſter ſatiùs attribuit Dorothæo cuidam Abbati Romano. Abſque dubio holographam decernit Muratorius Vir ad miraculum doctus Tomi 1. Parte Altera Script. Ital. De Situ Civitatis Mediol. in Præfatione, *Attamen*, inquiens, *tantæ eſt antiquitatis, teſte Cavéo, ut ſaltem vetuſtiſſima, hac de re Traditio Mediolanenſium dicenda ſit*.

8 Quiſquis tamen hanc ſub nomine Dorothæi, Synopſim compoſuit, herclè aut ante Seculum Quintum vixit, aut poſt ipſum. Si primum; ergo teſtem habemus antiquiſſimæ Traditionis Quintum ferè Seculum ſupergreſſæ. Sin autèm Quinto, aut etiam longè poſterior Seculo vixerit; nemo igitur dicat, Alexandrum, & quotquot hactenus adduxi ego Quinti, Sextique Seculi Scriptores ab ipſo Dorothæo fuiſſe deceptos; ab eo enim decipi quis potuit nondum nato?

9 At inquies cum Baronio -- falſum eſt Barnabam Romæ, ante adventum Petri evangelizaſſe: in Dorothæum, & ab ipſo in omnes poſteros hic error fluxit *ex illo Recognitionum cœnoſo gurgite, quæ ſunt Clementis nomine inſignitæ*. -- Aſt quicquid ſentiat de Romano Barnabæ Apoſtolatu, quem mox perpendam, Mediolanenſi adſtipulatur utrâque manu idem Cardinalis, non quidem ſecutus Dorothæum, ut dixi, non Hippolytum, non Clementem, quos cum ſtomacho rejicit *ad quiſquilias*, ſed *firmas Traditiones* aliunde manantes, *ejuſdemque Mediolanenſis Eccleſiæ monumenta, quæ fidem certam, & indubitatam faciunt*. Præterquamquod nego iterum iterumque nego ipſum Dorothæum, nego Hippolytum, aut Alexandrum Monachum, alioſve a me prolatos antea Scriptores hauſiſſe quicquam ex Clemente Romano. Etenim is nihil meminit omnino de Mediolanenſi prædicatione: Romanam verò mediusfidius ordine rerum deſcribit, ac temporum tam inverſo,

ut

ut propalam ſit, nullum unquam ex Scriptoribus ad Clementinas haſce Recognitiones reſpexiſſe quicquam. Nullus enim ex toto numero Auctorum, ſomniavit hoc, quod dicit Clemens Romanus, Chriſtum fuiſſe Romæ ab hoc Apoſtolo deprædicatum adhuc inter mortales agentem, & nondum in crucem actum. Prænarrato enim Clemens rumore prodigiorum, quæ in Judæa a Chriſto fierent, *denique*, ſubdit, *in Urbe Roma conventus fieri, & in admiratione res haberi cœpit; donec vir quidam adſtans in Urbis loco celeberrimo proclamaret ad Populum dicens -- Audite me, o Cives Romani: Filius Dei in partibus adeſt Judææ, promittens omnibus volentibus audire ſe vitam æternam &c. -- Erat autem vir iſte, qui hæc loquebatur ad populum, ex Orientis partibus, natione Hebræus, nomine Barnabas, qui ſe unum ex ejus diſcipulis eſſe diceret, miſſumque ad hoc, ut volentibus indicaret*: hæc Clemens, ſeu quiſquis alius ſub hoc nomine; qui èt ſtatim ſubjungit, neminem ex tanta multitudine credidiſſe concionanti: ſe unum diu cunctatum, Româ in Orientem navigaſſe, ac veniſſe Alexandriam, ut ibi Barnabam audiret iterum, ac Chriſtum Jeſum recognoſceret.

10 Dic ſodes: tibine videatur in Dorothæum Clementina hæc narratio immigraſſe, vel in Alexandrum Monachum, aliosve a nobis hucuſque enunciatos Scriptores, in quibus non loca, non tempora, nulla denique res convenit cum ea Clementis Recognitione, imò inter ſeſe confligunt omnia, ac quodammodo præliantur? Certè, ùt dicebam, proteſtatur Alexander ſibi omnia ex Auctore Stromatum deſumpta eſſe, aliorumque Veterum ſcriptis. Putas ne (juvat inculcare ad ſatietatem, & ad ſtomachum) ſi Clementem præ oculis habuiſset Romanum Pontificem æquævum, ac comitem S. Barnabæ, fuiſse futurum, ut diſsonam ab eo prorſus narrationem contexeret, ac tanti Doctorem nominis, tacitus per incuriam, non ſine contemptu præteriret? Ajo igitur, atque confirmo, Clementinas Recognitiones Scriptoribus maximè Græcis ignoratas fuiſse, vel propter inſperſam hæreſim, omnino fuiſse rejectas.

11 Si me percunctére, quid ſentiam de ſuppoſita Clementis doctrina, dicam, quod & Bollandiis videtur ad diem XI. Junii fol. 246. Duo inter alia vigent ejus opera: alterum *Periodi*, ſeu *Itinera* Sancti Petri ab Hæreticis, ùt dolet *Epiphanius*, Ebionitis Seculo Secundo ſuffartum: alterum adpellant *Libros Recognitionum*; ubi narrat Clemens, quonam modo ad cognitionem Chriſti devenerit; & hoc etiam, ſicut *Ruffino* videtur, conſpurcatum ab Eunomio Hæreſiarcha, Tertio Seculo exeunte. Quæ omnia penſiculatè conſiderans Papebrochius ibi fol. 426.: *hoc*, inquit, *ùt verum ſit de diſputationibus*, quæ ad hæreſim ſpectant; *videri tamen poteſt officere non debere iiſdem Libris, quatenus hiſtorici ſunt, atque ſub compendio referuntur in Epitome Clementina; nam in iis adulterandis, quænam Eunomio utilitas fuiſſet?* Singulos egomet hæreſis Eunomianæ articulos enucleatè perſpexi. Ædepol quid ad eam intereſt, utrum Barnabas adſpexerit Italiam, nec ne? Improbabile eſt, Eunomium mentiri voluiſſe abſque cauſſa, & cum periculo, ne quò plura aggereret mendacia, eò poſſet faciliùs deprehendi. Imò adulterantium calliditas ſolet veraciorem, quæ ſibi nihil officiat, Hiſtoriam ſubſternere, ut ipſa veritatis ſpecie, ſuam commendent hæreſim. Quapropter adulteratio ipſa integritatis argumento eſt in ea parte, quæ ad intentam hæreſim nihil ſpectat.

12 *Bellarminus* Lib. 5. de Gratia, & Libero Arbitrio Cap. 25. „ Et nos, *inquit*, fatemur Librum Clementis eſſe corrup-„ tum ab hæreticis; ſed tamen vel eſſe Clementis Romani, „ vel alterius æquè docti, & antiqui. Siquidem Euſebius „ Lib. 3. Cap. 38. ſcribit hos Libros eſſe Clementis, & ab „ hæreticis depravatos. Idem ſcribit Epiphanius hæreſ. 70.. „ At ſi corrupti ſunt hi Libri, quorſum citantur a nobis? „ Quoniam &c. veteres Patres, qui dicunt hos Libros eſſe „ corruptos, non ſilent, in quibus locis corrupti ſint. „ Corruptelam autem de Barnabæ in Italiam excurſu, nemo veterum notavit unquam. His ita inſpectis ſubdit *Guerrinus* loco prænotato. *Licèt admittamus ea Veneranda Antiquitatis monumenta ab Hæreticis aliquando eſſe corrupta, ſummâ diligentia*

Emi

Emi Bellarmini, & Magiſtri Sacri Palatii factum eſt, ut lacunæ, & loca corrupta appareant &c., *nec ulla ſuſpicio remanſit de adventu Barnabæ in Italiam.* Hinc Calchus ad ann. 44.: *unum*, inquit, *teſtimonium apud Clementem in Itinerario obſervavi, Barnabam Româ in Gallias profectum, Chriſti nomen primùm vulgaviſſe; ex quo facilè potuit in ampliſſimam tunc Urbem Mediolanum divertere.*

13. Cæterùm Primatum Petri (quod injicere nonnullis videtur religionem) nihil offendit Chriſti prænuncius ad Romanos Barnabas, ad quos jam nuncium idem adtulerat miraculorum ingentium rumor, famaque latè Chriſtum deprædicans. Ut autem Johannes Ieroſolymæ fuit Chriſti Præcurſor; ita Petri Barnabas Romæ; quæ res Primatum neutri peperit. Revera nullam Romæ Eccleſiam incohavit Barnabas; cui tum neminem crediditſſe fert idem Clemens, & ne ipſe quidem præbuit, niſi admodum ſeram fidem.

14. Quod ſi cum *Baronio* nobis cæteroqui in ſumma rei obſequente, percunctèris: quanam facultate Barnabas necdum ſegregatus in Evangelium, Romæ evangelizaverit, clausô adhuc Gentibus Fidei oſtiô, quod certum eſt, nonniſi poſt Cæſaréæ oſtenta, recluſum Petro fuiſſe? Tum ego ipſum cum Bollandiis Cardinalem percunctabor, quonam modo Joannes *Marc.* 9. dixerit Chriſto: *vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos?* Is certè nondum mirifica ea poteſtate ritè præditus, miracula efficiebat; quæ tamen Barnabas tunc feciſſe non legitur. Pendet animi idem ibi Papebrochius, num Barnabam LXII. Diſcipulis adnumerandum putet, queis dixerat Chriſtus Luc. X.: *in quamcumque Civitatem intraveritis, curate infirmos*; qui et 17. *reverſi ſunt cum gaudio dicentes: Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis.* Neque enim ſuam ſigno quoquam Barnabas Romæ prædicationem confirmaſſe traditur ab Clemente. Licèt autem per ea Matthæi verba X.: *in viam gentium ne abieritis; ſed potiùs ite ad oves, quæ perierant, Domus Iſrael*, prohibiti erant Apoſtoli, cæterique Majores Aſſeclæ, vocare priùs Gentes in viam ſalutis, quàm Iſraelitas: haud tamen alii minus intimè

adhærentes Chriſti ſequelæ vetabantur peregrè ad ſua negotia proficiſci, & ubicunque tandem gentium agerent, de Chriſto loqui; ùtùt plerunque id contigerit ſine fructu; quod etiam Barnabæ apud Romanos ſermocinanti contigit, cui unus dicitur Clemens, cunctis obſurdeſcentibus, auſcultaſſe.

15 Dubitatio Bollandiorum eſt ibi fol. 428., ne ſicut Joannes Damaſcénus inſtitutiones optimas ſuo interſerens Barlaam, & Joſaphat apologo, ſub nominibus forſitan veris, & cum fundamento in vera Hiſtoria, deduxit non invenuſtum drama, modo ſcribendi Orientalibus grato, & tum fortè utili, ſed apud poſteros omnia ad litteram accepturos non parùm incommodo: haud aliter quiſpiam Secundi Seculi Philoſophus, ſumptâ Clementis perſonâ, Traditionemque imitatus de Romanis Barnabæ concionibus, opus ingeniosè conflarit, cui tanquam ex ore Petri (quod èt opinatur *Natalis Alexander* Secul. 1. fol. 50.) ſanam inſperſerit, at mox labefactatam ab Hæreticis doctrinam, & pleraſque etiam diſputationes ex Platonis, & Ariſtotelis ſchola, integra èt duo folia ad verbum (uter plagiarius ſit ignorem) deſcripta in Libro *de Fato*; quem, adverſus Abydam Aſtronomum, cudit Bardeſanes Syrus circa an. 161., teſte Euſebio Lib. 4. Hiſt. Eccleſ. Cap. 18.

16 Quemcumque verò exiſtimes Clementini ejus Codicis ſartorem, Seculó ut minus Secundô vixiſſe comprobat æquævus Origenes; qui Tract. 35. in Matthæum ſic habet: *tale aliquid dicit èt Petrus ad Clementem, quoniam opera bona, quæ fiunt ab infidelibus in hoc Seculo, eis proſunt, non in illo ad conſequendam vitam æternam*: is autem locus extat Lib. 2. Recognitionum Clementinarum num. 38.

17 Vereor, ne nondum memet ſatis explicuerim. Clarius igitur, ac ſtrictius ſic arguo. Vel Italica Barnabæ peregrinatio inerat Clementis operibus, ante inſperſas Ebionis, Eunomiique hæreſes; & ſic teſtimonium habemus incomparabile, ipſum videlicet Clementem alumnum Barnabæ, cui refragari audet nemo. Vel ea peregrinatio inſita fuit ab Hæreticis, qui Clementem (ùt rentur Epiphanius, ac Ruffinus) corrupére

Se-

Seculo II., aut III.. Quo poſito, quæram abs te, num Auctor hujus inſitionis ex traditione tabuliſque certò ſcivit, Barnabam revera in Italia peregrinatum eſſe? Si ita eſt, facilè credo potuiſſe veram hanc ab ipſis Hæreticis Hiſtoriam interſeri, ſub qua tutiùs falſum religionis dogma ſubſtruerent. Herclè exiſtimet prudens nemo, rem totam in cerebro eorundem fuiſſe compactam; eſt enim incredibile Eunomium, vel Ebionem tam ſtolida laboraſſe fatuitate, & amentia, ut contra Tabulas necdum ab Diocletiano incenſas, contra Traditiones, quæ tum recentiſſimæ forent, tale commentum, tam manifeſtè contrarium famæ, fideique omnium, ſpargere voluerint in ſuos aſſeclas, eidemque figmento tam labili innectere ſua dogmata, ac velut in aranei tela, acu ſtudioſiore depingere, eò leviùs diſſlanda omnia. Nullus Hæreſiarcha omnino gratis, & cum periculo prodendi ſui, evertendæque propriæ hæreſis, mentiri voluiſſe putandus eſt.

18 Fuerit tamen hujus auctor rei Clemens ipſe, vel Clementinarum corruptor Eunomius, vel Philoſophus aliquis Clementem imitatus; hoc certiſſimum conſtet, hoc altè ſculpendum eſt in animis, nihil ex hujuſmodi Clementis Recognitionibus fluxiſſe, nihil derivatum eſſe in Alexandrum, alioſve, quos legebat ipſe anno 478., ac Veteres jam tum appellabat; quippe qui nil tale ſomniarunt, quod in Clementinis habetur, Barnabam ante Chriſti mortem, fuiſſe Chriſti in Italia prænuncium, concioneſque apud Romanos habuiſſe de ejus Incarnatione, ac doctrinâ, nondum peracto in Cruce humanæ Salutis myſterio, petefacto nondum gentibus oſtio Evangelicæ Veritatis.

19 At enim verò quid dicendum nobis videtur in hac tanta Doctorum diſſenſione? Num eundem Apoſtolum bis in Italiam veniſſe putemus, aut etiam pluries? Eum Clemens admittit Romæ ante obitum Chriſti. Aliter ejuſdem adventum, alioque tempore, inſtituit Alexander Monachus, Scriptores èt ipſe enuncians Quinto Seculo majores. Nam cum dixiſſet miſſum ab Apoſtolis Jeroſolymæ commorantibus Barnabam ad Antiochénos; dum ſacer Textus inde ipſum mittit Tarſum ad

quæ-

quærendum Paulum, quem Antiochiam adduceret, profectioni huic longam Alexander addens excurſionem, *Barnabas*, inquit, *ab Antiochia egreſſus, Vrbes omnes, ac Regiones peragravit, Chriſti Evangelium longè latèque diffundens, neque priùs deſtitit, quàm ad Urbem Romam omnium maximam venerit. Ex univerſis enim Diſcipulis Chriſti, primus Evangelium in Vrbe Româ prædicavit &c. Poſtea cum ad Ægypti Urbem Alexandriam veniſſet, illinc exiit peragrans deinceps Vrbes omnes, quoad pervenit Jeroſolymam; unde etiam regreſſus, reverſus eſt Antiochiam: inde etiam diſcedens, Tarſum venit, Paulum quærens, quem & Antiochiam perduxit* — Hactenus ex Alexandro; cui obſequitur Papebrochius XI. Junii fol. 429. num. 25. *Excurſui iſti in Europam favet intervallum temporis, quod inter Barnabæ miſſionem Antiochiam, & Pauli reditum ex Arabia, potuit interceſſiſſe; quando jam ſcitur tres ibi annos egiſſe Paulus, antequam aſcenderet Jeroſolymam, & Barnabæ occurreret tum fortè Alexandriâ regreſſo, ut deinde Antiochiam cum eo repeteret.*

20 At enim inficiatur Baronius, id fieri ante potuiſſe, quàm Petrus Romam advenerit; putat enim Petrum eò adveniſſe anno ſecundo Claudii, quando adhuc Syria cum Paulo Barnabam diſtinebat; poſteà verò juſſis ab eodem Claudio, Româ exeſſe Judæis (quod factum eſt anno illius nono vulgaris Æræ 49.) haud credit Baronius, tunc potuiſſe Barnabam genere Judæum Romæ verſari. At contra Doctiſſimum Cardinalem: *ego*, inquit Daniel Papebrochius ibi fol. 429. num. 25. *nego de Petri adventu Romam, ante tempora Neronis (de Paulo non eſt quæſtio; quia conſtat, appellato Cæſare Nerone, Romam miſſum) nego, inquam, de iſto priori adventu Petri conſtare quicquam. Eo autem ſublato, potuit Barnabas Romæ primus ex Apoſtolis prædicaſſe anno* 48.; *urgente autem edicto Claudii, potuit abiiſſe Mediolanum.* De hac ipſa excurſione quid ſentiat Auctor Legendæ Mombricianæ, & quid alter itidem Auctor, *qui ex diverſis collecta utriuſque linguæ paginis*, Sexto (ut ibidem Papebrochio (a) videtur) Seculo colligebat exordia Eccleſiæ noſtræ, jam audiſti ex prælibatis eorundem textibus. Alio enim

(a) *Papebr. XI. Junii fol. 429. num. 26.*

enim tempore, quàm quo Clemens Romanus, alio, quàm quo Alexander Monachus, Barnabam cæteri in Italiam deducunt. At quid inde? Quoquo tandem anno id evenerit, certè in ſumma rei conveniunt omnes, aliquo in Italiam veniſſe. Nihil mediusfidius tam certum apud Catholicos, quàm Chriſti mors. Quid autem apud eoſdem tam controverſum, quàm mortis ejuſdem annus? Vigeſimumprimum Æræ vulgaris adſignat *Euſebius Lib.* 1., *&* 9. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*: vigeſimumquartum *Philippus Solitarius Lib.* 3. *Dioptræ*: vigeſimumoctavum *Hegeſippus in Anacephaleoſi*: undetrigeſimum *Tertullianus Lib.* 8. *adverſus Judæos*, *Lactantius Lib.* 4. *Inſtitutionum*, *Auguſtinus Lib.* 18. *de Civitate Dei*, *Severus Sulpicius Lib.* 3. *Hiſt. Sacræ*, *Gregorius Turonenſis Lib.* 10.: trigeſimum primum, *Concilium Cæſarienſe ann.* 196.: trigeſimumtertium *Toſtatus*, *Genebrardus*, *Cappellus*, *Onuphrius*: trigeſimumquartum *Pandórus Ægyptius Monachus*, & *Ugo Flaviniacenſis in Chronico*: trigeſimumquintum *Auctor Opuſculi inter Opera Bedæ Tom.* 1. *parag. de Solſtitiis*, *&* *Æquinoctiis*: trigeſimumſextum *ex recentioribus Foroſempronienſis*: ac demum quadrageſimum ſecundum *S. Maximus Part.* 1. *Computi Cap.* 32. *Cronograph.*, *Nicetas Pectoratus in Opuſculo ad calcem Annalium Baronii*, *ac Nicephorus in Chron.* Tanta hæc annorum diſcordia nihil offendit certitudinem rei, in quam diſſidentes univerſi concordant Auctores, Chriſtum videlicet aliquo ex iis anno actum in Crucem fuiſſe. Hoc etiam addo. Mors Chriſti unâ tantùm vice contigit: adventus Barnabæ in Italiam potuit iterari, juxta ſolemnem Apoſtolis morem inviſendi eas, confirmandique, quas ſemel inſtituiſſent, Eccleſias --. *Redeuntes viſitemus Fratres per omnes Civitates*, *&* *loca*, *in quibus prædicavimus Verbum Dei*, *quomodo ſe habeant*: ſic Paulus, & Barnabas colloquebantur diſceſſuri Antiochiâ. Hac ipſa ratione ex Evangeliſtis, quorum alter diluculò, alter ait, orto jam Sole, pias Mulieres ad Chriſti tumulum acceſſiſſe, erroris ſuſpicio amovetur; quæpote ad eundem locum acceſſerant ſummo mane, ſollicitæque redierant ſæpius.

21 Admiſſo tamen uno dumtaxat Barnabæ adventu, qui tribus

tribus nequeat accommodari ſententiis; quid inde nobis adverſi? Baronius quanquam redarguat Alexandrum Monachum, èt ipſe a Papebrochio redargutus in eo, quod dicitur Romæ Barnabas prior Petro evangelizaſſe; convenit nihilominus in ſummam rei; totis quinimò tutatur lacertis Mediolanenſem Barnabæ prædicationem. Nam cum dixiſſet paulo ante: *Faceſſant portentoſa mendacia, & inſana deliria*, quod Petro Barnabas Romam præcurrerit; protinus ea ſubjicit, quæ nos haudquaquam tædet terque quaterque recantare. *Cæterùm poſt ea tempora, quum Barnabas unà cum Marco in Cyprum profectus eſt, viſitatis, confirmatiſque, quæ ibi erant Eccleſiis, in Italiam navigaſſe non negaverim. Romam verò acceſſiſſe, illicque prædicaſſe Evangelium, quandiu Claudius vixit, minùs conceſſum fuiſſe videtur, probibente illo Judæos Romæ agere. Verùm ipſum in Italiam veniſſe &c. Nobiliſſimamque Mediolanenſium Eccleſiam erexiſſe &c. firmæ Traditiones, ejuſdemque Eccleſiæ monumenta fidem certam, & indubitatam faciunt.* Reliqui item omnes apud Magiſtrum Sacri Palatii, & Spondánum, & Lorinum *In Act. Apoſt. Cap.* 15. *v.* 39., etſi diſputent fortiter, quo anno Romam acceſſerit, una tamen omnium concors, & inconcuſſa ſententia eſt: *Barnabam peragraſſe Italiam, & Mediolanenſem Eccleſiam condidiſſe, utì ejuſdem Civitatis tum monumenta non obſcura, tum non ſpernenda hiſtoriæ teſtantur.*

22 Huc collimat inſigne Cardinalis Bellarmini axioma Lib. 2. de Romano Pontifice Cap. 5. *Diſcordia Scriptorum argumentum eſt falſitatis, quantum ad id, in quo diſcordant; quia neceſſariò aliqui ex diſcordantibus falluntur. Sed ſicut diſcordia eſt ſignum falſitatis; ita concordia ſumma ſignum eſt veritatis.* Hinc ſubſumit Puricellus Nazar. Cap. 2. *Licèt de tempore, quo Barnabas Mediolanum venerit, inter ſe varient Scriptores: in id tamen communi conſenſu conveniunt, ut Eccleſiam ille Mediolanenſem primus omnium prædicatione ſua inſtituerit.* Sicut ergo ex Scriptoribus, quorum plerique affirmant, alii negant, neceſſe eſt alterùtros falli: ita e regione, quum omnes ſive antiqui, ſive recentiores Barnabam aliquando in Italiam trajeciſſe confirment; hæc conſenſio Doctorum præ-

bet

bet infallibile ſignum veritatis, &, ut ſcholaſtico utar verbo, *moralem certitudinem* efficit, cui temere aliquis obſiſtat, prudenter nemo. Certitudo enim iſta ex unanimi Doctorum omnium conſenſione coaleſcens, prudentem erroris metum eliminat ſic, ut in ea ſolidè nitatur quicquid ſummi in terris momenti eſt. Nam quum certitudo alia, quam *phyſicam* dicunt, freta ſenſuum teſtimoniis raró, ac perdifficulter habeatur; quumque ex trito axiomate falſa quandoque appareant credibiliora veris, & ipſos Codices diu pro genuinis habitos, tandem cognoverimus fuiſſe confictos; herclè ſi moralis hujuſmodi certitudo, ſeu unanimis Doctorum ſenſus tam raró fallens, ut nullum ſanæ locum dubitationi reliquum faciat, non ſufficeret, Boni Superi! quàm intolerandæ ſollicitudines angerent mortalium animos! quanta, res humanas perturbatio, ac divinas etiam pleraſque ſuſdeque jactaret!

23 Pro hujus Articuli coronide pono receptiſſimam apud *Faynum*, & alios opinionem de tempore, quo Barnabas Italico ſeſe itineri commiſit; quot enim anni interfluxerunt ab 40. ad 52.; totidem variant Scriptorum ſententiæ; ex quibus illa, quod advenerit anno 45. ſaltem ad modicum tempus, non ita abludit a vero, ſicut aliæ. Verior, & expeditior adventus videtur poſterior Concilio Hieroſolymitano, ubi de Circumciſione eſt actum: cui Paulus, & Barnabas interfuerunt ab Eccleſia Antiochéna miſſi. Id verò in annum incidit 51., juxta ſenſum Pauli ad Gallatas Cap. 1., de ſe loquentis ad Chriſtum converſo: *Deinde poſt annos tres, veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*. Et Cap. 2. *Poſt annos deinde* 14. *iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba*: qui omnes ſimul anni ſupputantur 17.. Hoſce verò Gloſsa Interlinealis, Henricus Spondánus, cæterique pro certo enumerant ab anno Converſionis Pauli, de qua illic agitur, non Paſſionis Chriſti, de qua nullus ibi ſermo: quæ Converſio inſignem effécit annum 35., teſte Martyrologio: *VIII. Kal. Februarii, Converſio Sancti Pauli, quæ fuit ſecundo ab Aſcenſione Domini anno*. Si ergo deducas calculum ab anno 35., additis annis 17., infertur annus Æræ Chriſtianæ 51.;

cui Hieroſolymitana ea Synodus incidit, innectuntque Auctores Divinam Barnabæ a Paulo ſejunctionem, factum inde memorantes, ut diverſum arripiens iter, ad nos Barnabas trajecerit.

CAP. XI.

Corroboratur eadem Traditio ex antiquis monumentis. Simul & effringitur, & retorquetur objectio hodiedum ineluctabilis viſa; nempe quod in antiquioribus Eccleſiæ noſtræ Miſſalibus, Breviariis, Kalendariis, & hujuſmodi Libris Liturgicis ne nomen quidem Barnabæ inſcriptum fuerit.

1 AD ea jam accedo veritatis inſtrumenta, quæ tanquam validiora ſervavi hoc extremo loco. Et primum annua eſt celebritas diei tertiæ ante Idus Martias (*Tredecinum* noſtrates vocant) qua die ingreſſum Barnabæ in hanc Urbem concelebrant Mediolanenſes, anniverſaria gratulatione effuſi mœnibus, occurſanteſque ad ædem uſque Dionyſii, juxta Orientalem Portam. Ibi quotannis ſtatuitur CRUX in umbilico Eccleſiæ, ex ligno in ſpeciem viridi, haud ſatis dedolato, primitivæ inſtar Crucis, quam S. Barnabas in hoc fixiſſe traditur ſolo, primæ de Chriſto Jeſu concioni exordium facturus. Solet etiam ad ipſam Crucem aſtrui in pegmate ſignum Apoſtoli geſtu, ore, ac toto habitu velut concionabundi.

2 Antonius Caſtilionæus (a) *acceſſit*, inquit, *huic opinioni fides ex Manuſcripto Vetere, ferreæ olim capſulæ conſignato, repertoque fortè fortunâ in eâdem D. Dionyſii æde*. Dicatam hanc primitus Salvatori, notat Placidus Pucinellus in Zodiaco; unde

(a) Caſtilion. *Part.* 1. *Faſci.* 1. *Vincentia.*

unde traductis ad Parochiale Bartholomæi phanum Canonicis anno 1033., Monachos invexit Eribertus (a), & iis ſuffecti demum Patres de Ordine Servorum Sanctæ Mariæ. *Hodiè*, ſubſequitur Boſca, Martyrol. 13. Martii, *D. Barnabas Mediolani Crucis vexillum erexit, Verbum Dei prædicaturus; cujus prædicationis cauſſâ, hodie recitatur officium ritu duplici de S. Barnaba.* Viget hujuſmodi celebritas adhuc, ſumma exundantis Populi religione. Cratitium ex ferro tegmen operit ſiliceam ibi tabulam, cui, tanquam ſtylobati, Crux infigitur, ſculptam litteris hiſce non admodum veteris, ùt mihi videntur, formæ. *In hoc rotundo lapide erectum fuit vexillum Salvatoris a D. Barnaba Apoſtolo Eccleſiæ Mediolanenſis fundatore, ùt Scriptorum auctoritate, & vetuſtiſſima Populi huc confluentis, tertiodecimo die Martii, Traditione comprobatur.*

3 Argumentum nobis etiam validiùs ſuppeditat FONS S. Barnabæ, ſeu, ùt alii appellant, *S. Barnabas ad Fontem*: de quo Scriptores agunt plurimi, & firmiſſimæ proditum memoriæ eſt, eo loci Barnabam ſacro latice expiaſſe primævos Chriſti aſſeclas. Lavacrum hoc Euſtorgianæ Baſilicæ proximum occurrit intùs a læva, prope Ticinenſem Portam. Baptiſterio Metropolitanæ Eccleſiæ par habetur iſte Fons: ad utrumque infantes ritè mergendi deportantur ex tota Diœceſi: utrobique etiam matrimonia celebrari æquè ſolent. Eò permultas ſupplicationes deduxit Card. Federicus Borromæus; & aliquot Judæos abſterſit ibi ſolemniùs: qua ſuper re inſpice Carolum a Baſilica Petri, & Jacobum Philippum Opicellum *de Fonte S. Barnabæ.* Moti hac religione quamplures Archiepiſcopi, utprimùm ingreſſuri eſſent Urbem, juxta ſacram hanc thermam, conſiſtere conſueverunt: primum ibi capeſſere Pontificalia inſignia, Templum exinde Maximum adituri, Primi relegentes Epiſcopi veſtigia.

4 Peragendæ olim ad hoc ſtagnum, rei Divinæ ſtatuebatur ara in pervio; quem morem, utvis Eccleſiæ ritui contrarium, ob ſingularem tamen religionem ejus Loci, diu toleravere Sacri Cenſores. Adjectum deinde aræ tectum, ſacerdotiumque

 ex

(a) Puricel. *Baſil. Ambroſ. num.* 228.

ex ære publico, tribus ſuper altare exſtantibus ſimulacris Barnabæ, Anathalonis, Caji: ipſe verò Anathalon, Brixianæ ſimul & Mediolanenſis Eccleſiæ unâ Præſulem oſtentans ſeſe, duplicem infulam gerit, alteram capite, manu alteram. Oſtiolum a tergo Altaris patet ferrea crate obductum, appenſâ in ſtagnum ſitulâ, qua ad publicos uſus quotidie petuntur ſalutiferi latices. Narrat *Placidus Pucinellus* loc. cit. canem infectum elephantiaſi, quum libaſſet hanc aquam, lapſa derepente ſcabie, nitidum extitiſſe: prodigium haud abſimile iis, quæ *Terræ Salutis* indiderant nomen, ubi latebat corpus S. Barnabæ; nam quiſquis illac, ut aliàs dixi, æger fortè tranſiſſet, ſanabatur extemplò neſciens beneficii auctorem: effoſſa tellure demum, ac ſcrobe ſubtùs eruderata, apparuit latens Medicus.

5 Haud omittam, quæ ad hunc locum ſignat Paulus Morigia *Dell' Origine delle Religioni Cap.* 7.: primis Apoſtoli noſtri Alumnis cognomentum fuiſſe *Apoſtolinos Fratres*: hoc ſodalitium ex laicis floruiſſe in multum ævi, conditâ, ac dedicatâ Apoſtolo eidem extra Romanam Portam ædiculâ: cultam hanc diu poſtea ab Regularibus Canonicis, anno demum 1546. obveniſſe Patribus S. Pauli *Decollati*: queis phanum idem ex integro lautius refectum, ut eſſet caput Ordinis florentiſſimi, indidiſſe BARNABITIS nomen.

6 Ad Ticicinenſem Portam revertor, epigrapham ibi lecturus, quam S. Prothaſius (fuit is anno 331. nonus a S. Barnaba Antiſtes) impoſuiſſe fertur Baptiſmali huic delubro.

Hunc Fontem tibi dedicat, atque Deo ſuper undis
Conſecrat impoſitam famulus Prothaſius aram,
Qua Ticina ſilex, & Martia Porta Beate
Barnaba, te Ligures advectum nuper in oras,
Audiit hortantem cœtus, & ritè lavantem.

Hæc ad Fontem inſcriptio jamdudum periit. Eam nobis *Andreas Alciatus*, fidus ille Antiquitatis interpres reſtituit ex volumine quodpiam Saxonico. In excidio Urbis, ne lapidibus quidem temperante veſana rabie præſertim Septienſium, bono cuiquam Germanico curæ fuit, hoſce verſiculos tanta vetuſtate,

ac

ac religione ſacros ſervare; niſi præſtet fortaſſe opinari jam exſcriptos ab aliquo Mediolanenſi, unâ cum aliis quoque manubiis ſub annum 1162. migraſſe in Germaniam.

7 Incaſsùm nobis objicit Spelta, Triſtánum Calchum *fol.* 15. *Hiſt. Patr.* docentem, ipſo hoc lavacro aliquot a S. Cajo fuiſſe ablutos. Papæ! Num Cajus utens ejuſmodi piaculari Fonte cavit, ne quis alius in poſterum uteretur? Num credere nos juſſit, nullum ante ſe, Fonte eodem uſum fuiſſe? *Sed inter Eccleſiæ Mediolanenſis monumenta*, redit Bacchinus, *Barnabam ejus auctorem probaret Epigraphes, quam Fonti Euſtorgiano adſcriptam dicunt, ſi de ea legitimè conſtaret*. Piget argutum hunc Cenſorem, dicere Fontem Sancti Barnabæ: a communi appellatione conſultò refugit, appellans Euſtorgianum Fontem ex eo, quod Euſtorgii Baſilicâ haud procul ſit. Bacchino igitur parùm conſtat de illa Epigraphe. Quid? De ea, quantum ſat eſt, conſtitit Alciato homini, ſi quis unquam, in omnem Patriæ antiquitatem demerſo: conſtitit Carolo a Baſilica Petri *Metropol. Mediol. fol.* 33. viro cumprímis docto: itemque aliis quamplurimis, graviſſimiſque Auctoribus conſtitit, qui eandem Epigrapham enunciant; de qua ante Bacchinum dubitavit nemo, & ne ipſe quidem prudenter dubitat. Ut enim docent Teologi: in iis, quæ *moralem* certitudinem efficiunt, ac prudentem erroris metum eliminant, tota ſimul eſt omnium ſpectanda rationum, ſcriptorum, monumentorum collectio; neque cavillandum eſt in ſingulis. Nam fila quæque ſejunctim, ac ſingula tractu leni diffringas; non ita, ſi in funem coeant, quo tota, & integra componitur vis, ac ſolidatur. Nobis autem hucuſque allatæ, & ſubhinc adferendæ traditiones, auctoritates, monumenta, ſi juncta ſimul ſpectentur omnia, non niſi leviſſima, & imprudens formido relinquitur; quam propterea ſpernendam duxére illi omnes, auctoritate, ſanctitate, eruditione venerandi Doctores, quibuſcum ego certè errare malim prudenter, quàm contra ipſos temerè divinare.

8 Ea necdum tamen exprompſi, quæ utpote firmiora diſtuli ſub hunc locum. Effringenda eſt enim tandem obje-

ctio

ctio quædam hactenus ineluctabilis viſa. Hæc ex vetere Miſſali Ambroſiano petitur; ubi mirum! non modo nulla de hoc Apoſtolo Miſſa legitur, ſed ne mentio quidem fit ulla. Arietem hunc, quomodo retundam, & in ipſos contorqueam adverſarios, vide. Eſto, in antiquioribus noſtræ Eccleſiæ Miſſalibus, Breviariis, Kalendariis nuſquam nomen S. Barnabæ fuerit inſcriptum. Statim evinco, quàm malè hinc argutentur nonnulli, eandem Eccleſiam Barnabâ Conditore perperam, & immeritò gloriari. Nam quotquot alias in Oriente ab eodem Apoſtolo conditas Eccleſias fuiſſe, docet infallibilis auctoritas Divina ex Apoſtolorum Actis; nullam tamen earundem Eccleſiarum, præter Cyprum ejus Patriam, antiquitus celebraſſe diem Barnabæ natalitium, & ne obſignaſſe quidem nomen in Kalendariis, ſtatim ego productis Græcorum, ac Latinorum Martyrologiis evidentiſſimè comprobabo.

9 Et primum hæc difficultas, multòque major etiam enodanda eſt Bacchino ipſi, Cathedram Mediolanenſem a Calimerio incohatam ſuſpicanti; tametſi de hac Calimeriana laude non Miſſale modo, ſed univerſi Scriptores ſilent. Equidem Miſſa de S. Calimerio ſive recens, ſive antiquiſſima ſit (in quo quid laborem?) nihil habet de hac laude haud ſanè reticenda, ſi vera fuiſſet, nempe quod ipſe Protoparens Mediolanenſis Eccleſiæ fuerit. Meliùs ad votum Bacchini ſuccederet, Miſſam de eo nullam extare, & obmuteſcere Liturgiam omnem, quàm loquendo, nihil dicere præſertim de hac re, quæ una erat ex omnibus quammaximè decantanda. Quid verò, quum Miſſæ omnes antiquæ, ac recentiores, de quocunque tandem eæ ſint, neminem præter Barnabam, appellent hujus Eccleſiæ Conditorem? Ergo ex auctoritate Miſſalium, nullus præter ipſum Barnabam, Eccleſiæ Conditor noſtræ tenendus eſt.

10 Nodus idem minùs premit Eccleſiam Mediolanenſem, quàm cæteras omnes, quas ex Apoſtolorum Actis certi ſumus certitudine *metaphyſica*, ab hoc fuiſſe Apoſtolo conſtitutas. Quæſo intende mentis aciem ad hæc, quæ ſum dicturus. Et quoniam hæc difficultas pleriſque inceſſit fortè legentibus

Notas

Notas in Ughellio Tom. 4. *de S. Barnaba*, quæ ipſæ in Ughellium Notæ fuerunt verbatim tranſpoſitæ ex Papebrochio loco ibi citato; ego proinde, ut agam fortiùs in hac parte, Papebrochii ipſius utar calamo. *Laudatiſſimus*, inquit ille ad XI. Junii fol. 421., *in Actis Apoſtolorum Barnabas, èt ipſe cum Paulo Apoſtolus gentium, extra patriam* Cyprum, *nullum, qui doceri poſſit, cultum in aliqua alia Eccleſia habuit, aut locum in antiquiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio, ſed neque Orientalis, niſi admodum ſerò additus Sancto Bartholomæo Apoſtolo, quem hoc die XI. Junii præcipuè colunt Græci, a Latinis dilatum ad menſem Auguſti. A Græcis utrumque ſimul etiam acceperunt Moſchi eodem die colendum.* Et paulo infra. *Mirum porrò eſt, quàm ſimilis fortuna fuerit utriuſque Apoſtoli in adipiſcendo ſeriùs cultu tam apud Græcos, quam apud Latinos, & quod neque Hieronymianum, neque vetera Sacramentaria Barnabæ, aut Bartholomæi meminerunt. Nam, quæ in Gregoriano habetur Miſſa de Sancto Bartholomæo, eò primùm acceſſit, poſt corpus translatum ex Lipara Beneventum, inde Romam anno DCCCXL.. Utrum autem genuinus Beda, qui Bartholomæi nuſquam meminit, revera meminerit Barnabæ, etſi ita aliàs nobis viſum ſit, vehementer nunc ambigo, vereorque, ne ſicut Florus primus ei elogium addidit ex Actis Apoſtolorum: ſic èt nomen primus inſcripſerit faſtis. Florum ſecutus eſt Ado: Adonem Uſuardus, ac cæteri. Per Uſuardum paſſim receptum invaluit, ut S. Barnabas Kalendariis inſcriberetur.* Papebrochio calculum adponit Sollerius in Actis SS. Tomi VI. Parte I. Junii fol. 330. *Barnabas Apoſtolus in Hieronymianis apographis notus non eſt, utpote cujus memoriam ſerò admodum tam in Oriente, quam in Occidente ſacris faſtis adſcriptam obſervat Papebrochius.* Inſpexi èt ego exempla quævis Hieronymiana, Actis iiſdem inſuta Tom. 7., nempe Rhinovienſe, Auguſtanum, Richenovienſe, Labbeánum, Corbienſe; neque Barnabæ uſpiam occurrit nomen, præterquam in Codice Reginæ Sveciæ; quippe cui plurima acceſſerunt ex poſterioribus: quod bene animadvertit idem Sollerius in Præfatione fol. VII.. Studuit iſte Auctor in ſcholiis ad Uſuardum, eximere Papebrochio dubitationem ſuper

Mar-

Martyrologio Venerabilis Bedæ, ac pro certo ita demum ſtatuit: *itaque Barnabas primùm a Beda in Faſtis Chriſtianis locum obtinuit* Seculo videlicet Octavo adoleſcente; quandoquidem Sollerius *ibidem Artic.* 2. Bedæ obitum adſignat anno 735. Neque hinc quiſquam arguat leviuſculam apud homines fuiſſe Barnabæ æſtimationem. Tanto enim, vel inter vivos agens in honore fuit, ut Paulum pro Mercurio, Barnabam pro Jove, ſeu *Dominorum Domino*, *& ipſo Paulo*, *majore*, certatim colerent. Joannes de Sylveira (a) ad illa verba: *Miſerunt Apoſtoli Barnabam uſque Antiochiam* &c. *Erant*, inquit, *Apoſtoli Hieroſolymis* &c., *& miſerunt Barnabam*, *cujus zelus*, *& ſollicitudo*, *& probitas erat nota Apoſtolis*, *ut unus Barnabas pro omnibus ſufficeret*.

11 Quæ mox ſubjiciam ex præfato Daniele XI. Junii fol. 425., accipias, quæſo, diligenter. *Titulus apud Mombritium hic eſt --- PASSIO S. BARNABÆ APOSTOLI --- Rectiùs manuſcriptum noſtrum habet: SERMO LEGENDUS IN NATALI S BARNABÆ APOSTOLI. Cum autem noſter hic Codex in Gallia ſcriptus videatur ante annos ſeptingentos, apparet, quod ibidem cœptus ſit ſolemniùs celebrari Natalis, priuſquam in Romana Eccleſia: idque veroſimiliùs, exemplo Eccleſiæ Mediolanenſis, quæ ab illo ſe inſtitutam prætendit.* Viden'? Etſi concedam illud de Barnaba ſilentium in antiquis Miſſalibus, idque ex uno, aut altero ſatis juridicè conſtare; nonne ad intentum ſufficiat, ſerò quidem extra ejus Patriam (natus enim fuerat Cypri in Inſula, quò ejuſdem avos ex Tribu Levi ditiſſimos bella compulerant) veruntamen a nobis probabiliùs Barnabæ cultum cœpiſſe, atque ad Gallos iſthinc ſeptingentos jam ante annos fuiſſe propagatum? Antiochiam ille, Tharſum, Seleuciam, Lyſtriam, Iconium, Piſidem, Pamphiliam, Pergem, Attalicam, innumeraſque Aſiæ Urbes, ac Provincias ampliſſimas concionando eſt dimenſus, utì fusè narrat S. *Lucas*; nulli tamen neque Græco, neque Latino ejus natalitia olim dies colebatur, immo ne in Faſtis quidem relatum erat nomen ante Octavum Seculum, quo Beda ſcribere cœpit, ùt idem fatetur

(a) *Cap. XI. v. 22. in Act. Apoſtol. quæſt. V. num. 31.*

tur *Sollerius* Papebrochii illuſtrator, atque auctor. Verùm quid inde? Num propterea Barnabam, extra fines Patrios, neges uſpiam apud Latinos, aut Græcos Evangelium deprædicaſſe? Hæreticum eſſet hoc ita credere, quum de hac prædicatione tam perſpicuè loquantur Apoſtolorum Faſti.

12 Neutiquam igitur mirandum foret, ſi quæ colendi natalem Barnabæ tarditas fuit in omnibus extra patriam Cyprum ab ipſo initiatis Eccleſiis, ea quoque apud Mediolanenſes notari poſſet. Quin èt prælaudanda religio Civitatis noſtræ, quòd tot inter regiones Divino Satoris ejuſdem ſemine reſperſas, una hæc orſa primùm ſit, diem ejus natalitium proſequi officiis ſolemnioribus. Quod ſi pro indubitato habet *Daniel*, celebrationem hujuſmodi jamdudum ante Seculum Decimum in ſua Gallia viguiſſe, idque probabiliter factum exemplo Eccleſiæ Mediolanenſis, quantò meliùs credere oportet exemplo eodem, id moris ad finitimos noſtrates Gallos Inſubres, Cœnomanos, Ligures multò etiam antiquiùs emanaſſe? Novarienſis ille Præſul Carolus a Baſilica Petri de Metropol. Mediol. fol. 32. *Immo etiam*, inquit, *quod argumentum haberi debet admodum grave, in Albigavenſis Eccleſiæ Libro veteri manuſcripto die XI. Junii, hujus Apoſtoli proprium officium, pluresque hymni habentur, quibus continetur, totam etiam regionem illam Liguſticam, ab eo fuiſſe primò illuſtratam, cujus officii exemplum apud nos eſt*. Ex M.S. Cœnobii S. Barnabæ apud Urbem Brixiam, ubi peculiaris de hoc Apoſtolo hymnus canebatur, hæc nobis carmina Papebrochius idem recinit.

Lætare felix Brixia
De tanto Paſtore Barnaba;
Cujus juſſu, Anathalon
Lucem dedit in Populum.

Antiquiores ejuſdem Civitatis Annales, hanc de nefaſto die S. Barnabæ apud Brixienſes perhibent latam legem. *Dies S. Barnabæ Apoſtoli perpetuò feſtetur: apothecæ ſtent clauſæ, & fiat Proceſſio cum Paraticis ſingulo anno; quia primus hanc Civitatem ad fidem convertit*. Paratica in Du-freſnio recentiùs edito ſonant apparatum, ſeu Collegia Artificum ſua adinſtar ve-

xilli præferentium inſignia; quod ipſum adhuc in more eſt: vide a nobis edita inferiùs in Paraticis Credentiæ Apologiſ. II. Cap. IX. . Bernardinus Faynus in ſcholiis ad Martyrologium Brixiæ, *Brixiani*, inquit, *in tanti ſui Benefactoris memoriam, ædiculam illam in clauſtro S. Petri in Oliveto Eccleſiæ adjacentem, ab omni antiquitate erectam ſemper obſervarunt eò, quod conſtantiſſima Traditio docuerit, Barnabam eorum Apoſtolum, locum illum tunc Jovi conſecratum in ſacrum Oratorium vertiſſe: quod, præter Scriptores, demonſtrant etiam ibidem venerabiles, & perantiquæ picturæ, ſub quibus legitur -- hic Apoſtolus ab Idolorum cultu Româ a Petro miſſus cum Anathalone Brixiam ad Chriſtum convertit* -- Idem etiam oſtendit vetus ſequens inſcriptio -- *Sacellum hoc in Virginis Mariæ honore dicatum inter Brixienſes Eccleſias primùm, eoque in loco Barnabas Chriſti Apoſtolus divina celebraſſe myſteria perhibetur* --- *Annua quoque tabula Eccleſiaſtica his indicat verbis*: *die XI. Junii Barnabæ Apoſtoli, & Eccleſiæ Brixianæ Fundatoris*.

13 Ex Libro *Statutorum Communitatis* Florentiæ tit. *de Bravio emendo, & currendo in Feſto S. Barnabæ*, hæc habentur „ Annuatim in Feſto S. Barnabæ curratur equeſter ad bravium, quod emi debet de pecunia Communis Florentiæ „ per Camerarios Cameræ ipſius Civitatis &c., in quo ex„ pendi debet uſque in Florenos auri viginti per dictos Ca„ merarios de dicta pecunia alteri non aſſignata abſque ali„ qua apodixa propterea habenda, & abſque ulla retentione „ diritturæ, vel gabellæ, conditionis, vel coloris ad ipſorum „ Camerariorum arbitrium ſumendo iter, & motum a Ponte „ Mugonis, qui eſt juxta Pratum Burgi Sanctorum, & ve„ niendo viâ rectâ per Portam Cariariæ, per viam Pavonis, & „ viam Portæ Rubeæ.

14 Româ demigrantem in Inſubres S. Barnabam ad Florentinos quoque digreſſum, Tuſciam Evangelicis luſtraſſe concionibus, conſtantiſſima apud *Salvatorem Sardum* in Deſcriptione Montis Alverniæ, viget Hetruſcorum perſuaſio, monimentoque eſt *Vallis Sancta* Alvernium, Fattuciumque montes interſecans. Specus ibi viſitur (*Speluncam* vocant *S. Barnabæ*)

nabæ) inde facta appellatione, quod Divinus ille Præco ſubſederit ibi in tranſitu; ſicut & Mons Lucumónis ab ipſo Apoſtolo ex Italia ab Helvetios, Rhetoſque tranſvecto, *Mons* in poſterùm *S. Barnabæ* appellari cœpit. Vallis ea Romualdo addicta ſedem Eremicolis præbuit: Camaldulenſes inquilinos, ac demum Franciſcanos accepit hac impoſita lege, ut feſtum diem Barnabæ tanquam Patroni, perpetuis officiis colerent.

16 Huc ſpectat Epigramma apud Baronium *Martyrol. 25. Septemb.*, Auctore, ut creditur, S. Mirocle, qui inter Mediolanenſes Protomyſtas Octavus, ſeu Nonus, a Sancto Barnaba, ſi Julium adnumeres, ſedem obtinuit anno circiter 303.

Petri hoſpes, ſanctèque Anathalon Domne probate,
Atque idem ſocius Barnabæ Apoſtolici.
Qui Mediolani Verbi myſteria tradens
Te jubet agnatos viſere Cœnomanos.
Dum tua membra metu rigidis ſubducta tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo.
Hic titulum & pictos venerando pariete vultus
Miraclis reddit, præſtitit alma fides.
Mirocles Epiſcopus.

Ea nobis reſtituit Carmina *Andreas Alciatus* ex Antiquario de Rebus Patriis. At enim barbaram Bacchini auribus ſtribliginem ſonant ii verſiculi ad poſteriora, quàm quæ Mirocles vixit, tempora retrahendam; perinde ac ſi nulli, florentibus Latinis ipſis, extiterint verſificatores inconcinni (ſicut èt nunc extant plurimi) aut Sanctiſſimo illi Epiſcopo Mirocli in eo, ante Conſtantini Magni pacem, tumultu rerum, curæ eſſe debuerit concinnitas verborum.

17 Ne quid miſſum videar facere ex iis, quæ excogitari fortè queant nobis contraria; hoc quoque argumentum ſuggero vel Bacchino, utvis minima conſectanti incompertum, aut potiùs viſum habere nihil roboris. Innocentius I. ad Decentium Epiſt. 1. *Quis neſciat*, infit, *id quod a Principe Apoſtolorum Petro traditum eſt, ſervari debere?* Et infra. *Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam &c. nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi quos Petrus, vel ejus Succeſſores conſtituerint*

N 2 *Sacer-*

Sacerdotes. Elici hinc videtur, Mediolanenſem Eccleſiam, quæ èt ipſa intra fines Italiæ ſit, gloriari haud meritò poſſe Barnabâ inſtitutore; quippe qui conſtitutus minimè fuerit a Petro Sacerdos; quandoquidem Antiochiæ dum Paulus, ac Barnabas initiarentur, Petrum eorundem ordinationi interfuiſſe negant cum Baronio plurimi.

Quo tamen cunque modo id peractum ſit, idem Baronius in ſumma rei nobis favet, cauſſamque verbis adjudicat luculentiſſimis. Præterea Leo IX. (a) aſſerit Petrum reapſe tum adſuiſſe Antiochiæ; & Gloſſa Decreti ab eodem Lorino citata *c. quis neſciat diſt. II.*, notat *Paulo, ac Barnabæ dediſſe licentiam prædicandi auctoritate Domini, dum dicit: ſegregate mihi Saulum, ac Barnabam.*

18 Catholica Innocentii doctrina redarguentis eos, qui Primatum Romanæ Sedis everſuri mentiebantur plurium origines Eccleſiarum aliunde, quàm ab ea fuiſſe profectas, quid nobis negotii faceſſit? *Joannes Echius* de Primatu Petri contra Lutherum, docet non Barnabam modo, ſed cœtum Apoſtolorum omnem ubique gentium, ne dum in Italia, Eccleſias condidiſſe non ſua quidem ipſorum, ſed a Petro accepta poteſtate, cujus principatui ſuberant, ut membra capiti.

CAP.

(a) *Apud Lorin. Act. Apoſt. Epiſt. I. cap. 17.*

CAP. XII.

Affero quædam congruentia, ut probem Eccleſiam Mediolanenſem, ac peculiarem ipſius Liturgiam ab Græcis parentibus, ſeu Orientalibus Barnaba, & Anathalone ortam eſſe.

1 MEdiolanenſis Liturgia, ut legenti patet, Græcis, Latinis, & nullibi uſitatis extra ipſam, permixta ritibus, me in hanc conjecturam deducit, primos ejuſdem inventores iſthuc advenas fuiſſe ex Oriente; quales haud dubiè Barnabas, & Anathalo fuere. Quandiu noſter Apoſtolus cum Paulo fuit, uſos unanimiter eâdem Liturgiâ, eandemque Orientalibus utendam tradidiſſe, nemo dubitet. Tranſvectus in Occidentem, non aliam profectò attulerit nobis, quàm quæ eidem Apoſtolo jam fuerat in uſu; utquid enim debuit novam comminiſci tantopere abſimilem?

2 Suffecti Cajus, Caſtritianus, & alii ſubinde educti ex Romana Schola, adjunxere Latinas quoque cæremonias pleraſque. Sic Ritus paulatim excrevit noſter; quem poſtea ſub Auxentio pſeudoepiſcopo fœdè collapſum reſtituit AMBROSIUS velut ex integro, & magnopere examplificavit; poſterique ab novi Conditoris nomine AMBROSIANUM appellarunt.

3 *Calimerium*, cui Pater Bacchinus prima noſtræ Eccleſiæ, atque adeo etiam Liturgiæ elementa ſubdubiè referebat, haud credo, hominem genere quidem Grajo, at (a) Romanis imbutum Sacris, huc Orientalia advexiſſe. Multò id etiam incredibilius, Ambroſium Civem Romanum, aut Simplicianum ipſi Ambroſio tum catecumeno datum a Romana Sede curatorem,

(a) *Lectio ad Matut. S. Calimer.*

torem, ipſumque Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, dum vulgati in Italia, ac velut in limine parati adeſſent Ritus Latini, hiſce neglectis, exotica maluiſſe ab Græcia, Aſiáque evocare; niſi ad hoc perpuliſſet eum vehemens ratio inſtaurandi, ac retinendi religiones patrias jampridem a protoparentibus Barnabâ, & Anathalone inſtitutas. Hymnodiam ille quidem ſumpſit ferè totam ab Orientalibus, ſeu metricos canendi modulos; quippe quibus Eccleſia tum Romana adhuc carebat.

Joſeph Vicecomes (a) Collega noſter citra dubium ſtatuit, jampridem ante ævum Ambroſii, aliam Mediolani, aliam Romæ fuiſſe curationem Sacrorum, ac totius rei Divinæ methodum. Quam diſſimilitudinem cenſet ex eo factam, quòd alium Romana, alium Eccleſia Mediolanenſis Parentem habuerit illa *Petrum*, hæc *Barnabam*. Ponit ibi titulum marginalem ſic. *Eccleſia Mediolanenſis ante Sanctum Ambroſium diſcrepuit ritibus a Romana*. Textus ita ſe habet: „ Primò „ namque conſtat, S. Barnabam, qui primam Fidei ſementem „ in agro Mediolanenſi fecit, & a quo in hanc Urbem caſtiſſimæ cœremoniæ manarunt, deſcriptum Ordinem rei „ Divinæ nobis tradidiſſe; nec ferè quicquam in eo reperies, „ quod cum aliarum gentium, nedum cum Romano conveniat. Ex quo intelligere licet jamtum ante Ambroſium, „ Eccleſiam Mediolanenſem a Romana, cæteriſque diſſenſiſſe „. Inter nonnulla, quæ profert accommodata ad hanc theſim, duo petuntur ex Ambroſio præcipua teſtimonia: alterum ſuper antiqua conſuetudine jejunandi; de qua ſic reſpondit Melliloquus Doctor, referente Auguſtino *Epiſt.* 86. *Cum hìc ſum* Mediolani, *non jejuno Sabbato; quando Romæ ſum, jejuno Sabbato*. Alterum de myſterio lavandi baptizandorum pedes; quam cœremoniam *Lib.* 3. *De Sacram. Cap.* 1. cenſuit idem Doctor ſibi retinendam mordicus, utvis abhorrentem a Romana praxi. Prætereo cætera, atque ajo: Rituum tam diſſimilium, tam contrariorum certè non unus fuerit, idemque inſtitutor. Plures apud ipſum *Vicecomitem* (b) notantur.

Vete-

(a) *De Miſſæ Ritib. Lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 171.
(b) Vicecom. *ibidem Lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 139.

Veterum Patrum Liturgiæ Petri, Jacobi, Marci, Apollinaris, Barnabæ, Dionyſii, Baſilii, Gregorii, Joannis Chryſoſtomi, quæ vel nulla in re, vel admodum in paucis conveniunt. Adjicitur titulus in margine Lib. 2. cap. 12. pag. 171. *Liturgia Sancti Barnabæ a cæteris omnibus, nedum a Romana differens fuit.* Quæ cum ita ſe habeant; Ordo Mediolanenſis tantopere diſcrepans a Romano profectò non eſt dicendus, quemquam inſtitutorem habuiſſe ex Diſcipulis S. Petri; etenim hi Romanum omnes ſervabant Ordinem. Undenam ergo derivatum putemus Ordinem noſtrum, præterquam ab ipſo Barnaba? Cæteræ Jacobi, Marci, Apollinaris Liturgiæ trahi Mediolanum vix ulla ratione queunt; aliæ verò *Baſilii, Gregorii, Joannis Chryſoſtomi*, multó poſteriùs ortæ ſunt. Quod ſi dicas pleraſque alias in Ciſalpina Gallia Diœceſes eodem *Barnabâ* parente gloriari, quæ tamen non Mediolanenſem, ſed Romanum Ordinem ſervant; tum ego reponam ea, quæ ſignat idem *Vicecomes* Lib. 2. Cap. 13. ſub tit.: *Ligures alioſque plures olim Ritu Ambroſiano Miſſam, & cætera Eccleſiaſtici cultus Officia celebraſſe.* Mox pag. 175. præfixo lemmate marginali, *alias Civitates, quæ ritus Ambroſianos coluère, & ad Mediolanenſem Metropolim pertinuerunt*, enumerans, ait, *non modo Savonenſem, Intimilienſem, Aſtenſem, Caſalenſem, Aquenſem, Albenſem, Derthonenſem, Viglebanenſem, Alexandrinam, Laudenſem, Novarienſem, Vercellenſem, Cremonenſem, Bergomenſem, & Brixienſem Eccleſias, in quas Pontificale imperium Mediolanenſe durat, Ambroſiano ritu olim feciſſe; verum etiam Comenſem, Ticinenſem, Placentinam, Eporidienſem, Valvenſem, Brixillenſem, Iporienſem, Auguſtenſem, Curienſem, Albigavenſem, Veronenſem, Genuenſem, Taurinenſem, Rheginenſem, Mutinenſem, Bononienſem, Faventinam, Ferrarienſem, & cæteras Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarum, Rhetiarum, Alpinaſque Urbes, & præcipuè Aquilejenſem, & Colonienſem magna Eccleſiarum nomina in re divina peragenda, & cæteris Eccleſiaſticis muneribus obeundis, Ambroſianos ritus, & ceremonias adhibuiſſe*: hæc Vicecomes.

Joannes Dominicus de Bertoliis, quo in Opere, Venetis

necdum

necdum prelis emiſſo, illuſtrandarum ſatagit rerum Aquilejenſium, inter pleraque lipſana Venerandæ Antiquitatis, id quoque nobis reponit ad commonſtrandum, olim *Baptiſma per immerſionem*, penes Aquilejæ myſtas fuiſſe in uſu, inde, ut ego reor, facto; quod ſubeſſent Protomyſtæ Mediolanenſi, cujus propterea ſeſe ritibus coaptarent in hac etiam parte fungendi luſtralis miniſterii.

4 Et quoniam congruentia aguntur, hanc quoque rem ſubjiciam; in qua Divinæ Gratiæ ingenium exſplendeſcit imitantis perſæpè methodum Naturæ. Factum divinitus ita videtur, ut Evangelizatores Græci, ad hoc noſtrum Italiæ latus accederent primi, jamdudum Grajugenis, & novis tum fortè ex Epiro inſeſſum colonis, ſuopte ingenio valdè pronis ad religionem. Eos Julius Cæſar *Strab. Lib.* 5., circa Briantæos, Orobioſque amœniſſimos hoſce omnium Inſubrum colles, non ita multo ante in coloniam advexerat. Ex nobilioribus hæ Epirotarum quinquentæ, & affinium ſelectiores familiæ *Novo* prænomen *Como* nuperrimè indiderant. Ab iis apud Inſubres, ob rei ſacræ ſcientiam magno in honore habitis, pleroſque pagos græca vocabula ſumpſiſſe, Auctor eſt Alciatus *in Antiquar. MS.*. Nam èt *Orona*, *Abdua*que fluviis ab ſitu montium impervio, & Vico *Orſenico* ab victrici in alpibus edita pugna, & *Leuco* perilluſtri municipio ab candore ſilicum, & *Eupylo* ſive *Puſiano* Lacui ab Alpium aditu, & *Orphano* ab cæterorum montium ſecretione, *Fegio* demum, *Onio*que ab copia fagorum, & Aſellorum gregibus profecta appellatio videtur. Alia ego plura *nella Storia dell' Alta Inſubria*, in lucem edere geſtio, ſi meliuſculæ alludent aves. His religionum magiſtris ſpes erat cò celeriùs, quæ ſemel amplexi iidem forent, Chriſtiana dogmata ad reliquos Inſubres, Italoſque ſubinde omnes facilè poſſe propagari. Quin èt Romani multò leniùs videbantur inclinaturi ſe ad Græcanica exempla, quàm ut Græci ab Romanis quicquam novæ religionis caperent. Norunt Docti, quàm ægrè indoles Grajugenarum prætumida ſubderet ſeſe Latinis legibus. Quamobrem Dionyſius Alicarnaſſes, ſi fides eſt Galeſio in Præfatione, conductus ma-

gna

gna mercede Græcus Auctor Hiſtoriam concinnavit datâ ad id operâ, ut diſceret Græcia pati Romana imperia, ſciretque minimè barbaros eſſe Romanos, ſed e Grajorum femore fluxiſſe.

Porro Magnum Avunculum meum, ac Collegam, quem debiti amoris ergo, placet nominare FRANCISCUM COLLIUM, ubi agit *de Animabus Paganorum*, ſuperiore anno 1739. Mediolani recuſum legentibus innoteſcit, quàm mira conſenſio foret Athenienſium Archimagiſtris cum Doctrina Chriſti. Nam, quum ante omnia Unum ipſi ſtatuerent Deum Monarcham, rerumque Dominum; in hoc tamen cruciabantur, utne Deum triſtem, ac ſolitarium effingerent, ſed beatum. Beatitudo autem, quam in intelligendo, & amando aliquid ſibi æquale, ſtatui oporteret, ipſam proruebat Monarchicam Dominationem. Ergo Religionis noſtræ arcanum ſublimius, Unum colentis in Natura Deum, Trinumque in Perſonis, plus ſolaminis afferebat; quàm negotii anxiis Græcorum mentibus, haud tamen ita facilè amplexandum præferoci Romano, ùt omnium gentium domitori, ita èt Deorum omnium cultori tenaciſſimo, eâ nondum penitiore Theologiâ ſatis imbuto.

In hoc igitur Divinum conſilium agnoſco, ut idem Barnabas, qui Græciam Chriſto jam devinxerat, provectus in Italiam, ac tentatâ nequicquam Româ, diverterit ad hoſce Orobios Inſubres in eadem Græcia partim natos, partim exinde ortos, fore facillimum ratus, ut antiquæ Patriæ, ac Religionum magiſtræ exemplô, eidem Chriſto nomen darent, in ſua tracturi veſtigia Italos ſubinde omnes.

CAP. XIII.

De TUMULO S. Barnabæ plura ad rem diſputantur.

1 SApiens Lector pauca hæc boni conſulat, quæ mihi dicenda ſuccreſcunt ex ipſa connexione rerum cum hac cauſſa. Certum eſt, S. Barnabæ Caput cum Cineribus ſive Corporis, ſive Rogi, ex quo flammis illæſum corpus evaſit, apud nos haberi in Baſilica Philippi, quæ primæva Mediolani ſacra Ædes fuit, græcè olim *Polyandrion Caji*. Erat hoc, Bacchine, Cimiterium, in quo Cajus ante Calimerium ſecundus Præſul noſter divina peragebat, ibique conſepulti jacuere Gervaſius, ac Prothaſius. Naboriana poſt acceptas Naboris, & Felicis (non *Celſi*, ùt mendosè ibi Daniel) exuvias: anno demum 1256. ab inductis Franciſci Aſſeclis Franciſcana adpellari cœpta.

Non abs re lubet huic loco ſummatim intexere, quæ de hoc Polyandrio fusè tradit *Bonaventura Caſtilionæus* M.S. in Vita S. Caji ,, Cajus ab Anolino Mediolani Præſide cæſus virgis, ,, pulſuſque ad Alpes, inde Romam ad Apoſtolos venit; quo- ,, rum martyrium ſubſecuto Neronis tam juſto, quam crudeli ,, interitu, Chriſtiana res paululùm reſpiravit. Ad Sedem re- ,, verſus, in hortis Philippi, viri comprimis opulenti, ac nobi- ,, lis Cimiterium condit, quod poſteris dictum eſt Polyan- ,, drion Caji: Baſilicâ ibidem intra Palatium ſacratâ, ſub paſcha ,, Diaconos aliquot Mediolanenſes, & qui ſibi ſucceſſit, Ca- ,, ſtritianum Sacerdotem creat. Id Polyandrion, ubi Felix, ,, Nabor, Gervaſius, Prothaſius, & alii quievere Indigetes no- ,, ſtri, viſebatur, quo ipſo tempore invecti eò Franciſcani in- ,, tulere novos ritus, ac primitivi Sacrifices, penes quos erat ,, pignus ultimum primævæ religionis, ſuis everſi fuere ſedi- ,, bus. Chorus, ut video, occupat umbilicum Baſilicæ veteris,

,, ſub

„ ſub quo Cimiterium latebat. Compertum habeo ex juratis „ ſenibus, meſaulam ibi fuiſſe (*andrónam* vocant noſtri) ex „ veteribus clauſtris in odéum ſubtus ferentem. Inter excavandum, dum ſacra vetuſtas recentibus operis delebatur, „ innumera ibi patuére integra corpora, parſque fornicis, „ magni inſtar antri; quod procul dubio ſacratiſſimi ejus Sepulcréti fragmen erat: ea inter cadavera Cajum fuiſſe, „ alioſque Mediolani Epiſcopos, ac Martyres opinor. Proh „ dolor! cuncta ſuſdeque verſa: ablati ritus antiqui: priſcæ „ religionis corrupta monumenta omnia: natalitii dies noſtrorum, qui iſthic degunt, Parentum aut neglecti prorſus, „ ac minus culti &c. „ Hactenus ex *Bonaventura*.

2 In hac igitur primùm Salvatoris, dein Caji, poſtmodum Naboris, ac demum Franciſci auſpiciis mutata Eccleſia coluntur Reliquiæ S. Barnabæ; & ne cui in dubium cadat identitas, ritè eaſdem inſpexit S. Carolus, approbavitque, & quâ magnificentiâ ſolebat ipſe, ad aram tranſtulit ejuſdem Baſilicæ maximam, anno 1571. X. Septembris. Exante illam diem habitæ fuerant intra eandem Naboris Ædem in Sacello S. Franciſci, quæ ipſa olim appellabatur Capella SANCTI BARNABÆ, Nobilium Reſtarum gentilis ad aquilonem poſita juxta odéum. Quis illo ſub altari jampridem condidiſſet eas, docet Codex M.S. tit. *Paſſionale S. Barnabæ* a Placido Pucinello evulgatum typis; ex quo hæc traduco „ Cellam veſtiariam inter, ac præfatam aram Barnabæ viſitur puteus lymphæ mirificæ: eo lapidibus obducto noſtri Majores, quo tempore „ hoſtilis furor ne templis quidem temperabat, Reliquias Sancti Barnabæ, aliaſque occluſerant. Bellis inde miteſcentibus, impoſita ad religionem, ac memoriam latentis ibi theſauri retinendam columna ex pario marmore, quam *cerophorariam* dixere, votivis luminibus nigrefacta, ac penè „ ambuſta. Inducti anno 1256. Franciſcani, cum neceſſe haberent laxare Ædes, puteo recluſo eduxere ea lipſana, atque in abſidem, quam dixi, Barnabæ dicatam, ubi jamdudum ante bellorum diſcrimina, haberi fortè conſueverat, „ repoſuere „ Hæc, quæ meis verbis tranſtuli ex præfato

O 2 Paſ-

Paſſionali, in confeſſo apud omnes ſunt.

3 Difficultas in eo vertitur, ut tempus, ac modum inveſtigemus, quo noſtri Majores adepti hoc Sanctum pignus fuerint; qua de re tenendum eſt in primis (quod Daniel ex coævis probat) Barnabæ Corpus injectum rogo, flammâ divinitus reſtinctâ, minimè conflagraſſe, & integrum a piis, fidelibuſque Salaminiis extra Urbem ſepulturæ datum. Situs inde memoriâ abolitâ, etſi eidem loco circumquaque miraculis, quæ incerto auctore fierent, præfulgenti *Terra Salutis* nomen eſſet; demum Salaminæ Archiepiſcopo cœlitus revelatum anno 478., effoſſumque apparuit Corpus S. Barnabæ integrum; quod e veſtigio ad Metropolim Cypri Salaminam eſt delatum.

Quæ quum ita ſe habuerint, quonam modo dici poteſt verus apud nos haberi Cinis; quandoquidem conſtat Corpus e rogo æquè, ac tumulo integrum evaſiſſe? Certè Caput, dum puteo educeretur Seculo XIII., *adhuc rubeum, & quaſi recens erat*: verba hæc ſunt prælibati *Paſſionalis*. Num fortaſſe cinis pro eo pulvere eſt habendus, qui longa temporis edacitate e ſolidis etiam cadaveribus elimatur, & excidit? Num amoto capite, quod adhuc illæſum manet, cæteri artus plaſmate ſoluto, laxati poſtmodum in cineres fuere? Num ire malim in Papebrochii conjecturam opinantis, fideles Cyprios collegiſſe cineres rogi, quos inde pro cineribus Corporis Mediolanenſes acceperint? *Cum enim*, inquit Daniel, *obſolevisset memoria ſervati miraculosè Corporis, & ſoli cineres rogi feralis reperirentur, invaluerit opinio, quam pſeudo-Marcus ſecutus eſt de illius incineratione. Interim potuit Mediolanenſis Eccleſia, reddita ubique Chriſtianis per Conſtantinum Magnum pace* (ſub initium Seculi IV.) *aut etiam citiùs, notabilem obtinuiſſe portionem Cinerum ejuſmodi; poſtea verò audita Corporis integri inventione, miſſis in Cyprum Legatis impetraverint etiam Caput vel eodem, vel ſaltem Seculo VII., quo ad finem vergente, veroſimile eſt, Inſulâ Cypro jaminde ab anno 648., occupatâ a Sarracénis, Salaminioque Epiſcopo cum præcipuis civibus aliò ſe recipiente, ablatum etiam inde Sanctum Corpus fuiſſe.* Quomodo

modo autem, unde, & abs quo idem Caput ad Mediolanenſes pervenerit, ignorare ſe Daniel fatetur.

4 Interim nos, quod dat ipſe Papebrochius, lubenti accipimus animo, ſcilicet Mediolanenſes peculiari erga Apoſtolum ſuum religione permotos, jam ante Seculum Quintum forte ab Salaminiis impetraſſe ejus Cineres, quoſquos tandem Cineres Daniel eſſe velit: Seculo deinde Septimo per Legatos in Orientem, obtinuiſſe etiam Caput, atque in primitiva totius Diœceſis noſtræ Baſilicâ collocaſſe. Hæc ratiuncula ſimul juncta cum omnibus teſtimoniis, monumentis, traditionibus magnam vim imprimit ſano cuique ad opinandum, Eccleſiam Mediolanenſem, Barnabæ Conditoris ſui memorem, ſtatimac parta Chriſtianis libertas fuit, primùm omnium curaſſe, ut Sanctiſſimi Parentis ſui reliquias præ ſe haberet.

5 Quod autem conjectatur a Papebrochio, Caput Apoſtoli noſtri Seculo haud citiùs Septimo Mediolanum perveniſſe; ego in hoc quoque tenere malim Traditionem Patrum, quàm ipſius Papebrochii conjecturam ſequi. Traditio eſt, quam enunciant noſtrates Annaliſtæ, Faſtique Pontificales apud Ughellium, Ripamontium, & alios, primam ejus Sacroſancti Capitis translationem incidiſſe in Seculum Quintum, ſedente Mediolani Divo Benigno Præſule; cujus etiam inter eximias laudes hæc apud Scriptores maximopere commendatur, quod tam inſigni theſauro ſuam ditarit Eccleſiam. *Sanctus Benignus hanc Sedem aſſecutus eſt anno 472. &c., factuſque Epiſcopus templa, Eccleſiaſque, quas Odoacer Herulorum Rex barbara impietate exciderat, ſplendidiori iterum cultu excitavit, potuitque in ſuæ felicitatis maximam partem deputari, ſibi videlicet contigiſſe S. Barnabæ Corpus per idem tempus inventum, deportatumque Mediolanum honorificentiori loco collocare. Plenus annis deceſſit an.* 479., nempe anno ſtatim primo poſt inventum Corpus Barnabæ: ita Ughellius in S. Benignum.

6 Quænam igitur Danieli adſtruitur ratio tam vehemens, quæ nos a Traditione Patria, atque ab hac Benigno Antiſtiti noſtro conſervanda laudis poſſeſſione removeat? Me enim vel retorto capite nemo trahat in hanc ſententiam, ut cre-

dam

dam Majores noſtros impoſuiſſe nobis, aut Scriptores mentiri in re tam gravi, ac ſomniari voluiſſe, niſi ex adverſo triumphet evidens ratio. At minimè veri ſimile eſt, inquit Daniel, vixdum reperti Corporis caput, Mediolanum ab Cypriis ammandatum eſſe. Ego tamen primum reſpondeo, æquè mirum videri Seculo Septimo, in quamcumque confugiſſent Urbem, poſthabitâ hoſpitii gratiâ, maluiſſe Sanctum CAPUT Mediolanum dono mittere, præſertim quod tot aliæ in Orientalibus iiſdem plagis, Eccleſiæ adeſſent ab ipſo Apoſtolo conditæ, quæ pignoris ejuſdem potiundi ſtudio arderent.

7 Sed enim, inquies, nulla ex iis Eccleſia videbatur cum Mediolanenſi ullatenus poſſe conferri. Bene eſt: acu tetigiſti rem; quin èt ipſam augeo tuam hanc ſententiam: vide, quantò major ipſius Eccleſiæ dignitas foret Quintô eô Seculô; quô Barnabæ tantum pignus indepta fuiſſe creditur. Italia, quæ modo in undetriginta Archiepiſcopos eſt dirempta, duobus tantummodo ſuberat Romano, ac Mediolanenſi; quin & Aphrica, Aſia, totuſque Oriens ſuſpiciebat Eccleſiam hanc, ceu Filiam Matri Ortodoxæ viciniorem, purius exſugentem lac, & uberius. Ditâ namque Italiâ universâ (a) in duas ſolummodo Provincias URBICANAM, & ITALICAM, ſicuti Romano illa parebat Antiſtiti: ita hæc noſtra ſeptem latè Provincias complexa Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, Venetias, Picénum Annonarium, Alpes Cotias, & utramque Rhetiam cum appendice Illyrici, uni obtemperabat Ambroſiano Metropolitæ, qui propterea tantâ erat auctoritate, ut in Conciliis ipſe Romano primus aſſidéret Hierarchæ, & Œcumenicis ſanctionibus calculum ante omnes adponeret ſuum. Notior eſt, quàm ut a nobis explicari poſſit, Orientalium erga Ambroſianam Sedem veneratio; quam èt in dubiis rebus poſt Romanam, ſolemniſſimis legationibus implorabant. Haud hoc loco miſſa faciam verba Concilii Africani Secundi ſub annum 401. *Poſt Conſulatum Flavii Stiliconis, Carthagine in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ, cum Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis ſuis conſediſſet, dixit. Eccleſiarum Dei per Aphricam conſtitutarum neceſſi-*

(a) *Emmanuel. Scheltratus Tom. 2. diſſert. 2. Cap. 5.*

neceſſitates mecum optimè novit Caritas Veſtra, Sanctiſſimi Fratres. Videtur mihi eligendum eſſe unum ex noſtro numero conſacerdotem, qui perrecturus ad tranſmarinas Italiæ partes, tam Venerabili Sancto Fratri ANASTASIO SEDIS APOSTOLICÆ Epiſcopo, quàm etiam Sancto Fratri VENERIO SACERDOTI MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, neceſſitatem ipſam, & dolorem, & inopiam noſtram valeat intimare.

8 His intellectis, Daniel quæſo, recognoſcat, quantùm rationi conveniat Traditio hæc noſtra, ſcilicet S. Benignum, comperto vixdum corpore S. Barnabæ, per Legatos ſupplicaſſe Cypriis, & eos continuò annuiſſe, ut Mediolani in arce Italiæ, quô exantè annis ferè ducentis ſtata jam Sedes Imperii fuerat, collocaretur communis utrinque Parentis CAPUT? Docti norunt, quot alia Chriſti, ejuſque Sanctiſſimæ Genitricis longè pretioſiora lipſana ab Orientalibus ſtatim Romam dono venerint, in obſequium Sacroſanctæ ejus Sedis. Quid? in ipſo Barnabæ ſepulcro repertum quoque fuerat Evangelium Matthæi; quo Græcè reddito Barnabas utebatur: idque eodem anno 478. ad Zenonem Græciæ Imperatorem fuiſſe delatum, narrat Græcus, & coævus Auctor Alexander apud Papebrochium loc. cit. Ego mediusfidius quanticunque faciam Reliquias Barnabæ, haud minoris facerim Evangelicum Matthæi Codicem, Barnabæ ipſius exaratum manu; cujus Libri integritas, & uſus quantæ utilitatis eſſet futurus in Eccleſia Catholica, quis ignoret? Et reipſa unum illud Evangelium petiit Imperator, præterea nihil. Recita ex Alexandro. *Beatum Anthemium Epiſcopum Cypri ita rogavit Zeno. Quoniam Sancti Pontificatus tui temporibus Domino noſtro Jeſu Chriſto placuit Sanctum ſuum Apoſtolum Barnabam revelare; jube, quæſo, celeriter Evangelium illud, quod inventum eſt* in ipſius tumulo, *nobis afferri. Id ſi feceris, mihi Filio tuo gratiſſimum erit. Habebis enim èt me ipſum tibi, Pater, in omnibus obtemperantem.* (nam antea titubaverat in fide Zeno) *Aſſenſus eſt ejus petitioni Epiſcopus, & quemdam ex iis, quos ſecum habebat, unâ cum fidiſſimo Imperatoris Miniſtro Epiſcopum miſit, qui Evangelium illud in Urbem Conſtantinopolim attulerunt. Erant autem libri*

tabellæ

tabellæ thyinis lignis compoſitæ. Evangelium illud Imperator in manus ſumpſit, & deoſculatus eſt, auroque multo exornatum in Palatio ſuo repoſuit, ubi ad hodiernum uſque diem ſervatur, & in magna quintâ Paſchæ feria quotannis in Palatii Oratorio Evangelium ex eo libro recitatur.

9 Verum enimverò ad hoc munus Conſtantinopolim deferendum, neceſſitas dura Anthemium adegit eo anno 478. Salaminæ Præſulem. Nam, ut dixi, Petro Fulloni tum Antiochíæ Patriarchæ, & Arrianorum anteſignano malis artibus Salamínam cum tota Cypro Antiochénæ dictioni ſubdere, ſuamque in hæreſim trahere conanti, quum præſtituta dies eſſet ad conveniendum coram Imperatore, ipſe Anthemius, ùt erat prætimidi pectoris, conciliando Cæſari dono obtulit prælaudatum Matthæi Codicem, juſſitque Zeno ex Synodica ſanctione, Salaminiam ab Divo Barnaba conditam Eccleſiam, nullatenus Antiochénæ Fullonis archidiœceſi obnoxiam fore.

10 Sed ego iſthinc alacrior ſubſumo. Quid ſi verò cauſsâ tum cecidiſſet *Anthemius* in ea Orientalium Synodo? Quid ſi in eo conflictu Arianæ ſectæ, qua totus latè Oriens percellebatur, opus aliquando habuiſſet appellare ad Summum Pontificem, ejuſque primarium Aſſeſſorem BENIGNUM Mediolani, Italiæque Metropolitam, cujus ea tempeſtate, apud Orientales tanta auctoritas erat, quantam ego aliàs oſtendi? Num tibi videtur, BENIGNO tum aliquam partem Corporis S. Barnabæ inſigniorem efflagitanti, in eo rerum articulo fuiſſe denegandum? Immò congruebat quædam ratio Eccleſiæ noſtræ, quæ cum Salaminía adversùs eandem Fullonis hæreſim tamdiu, tantumque depugnaſſet. Quæ ratio non obſcurè attingitur èt Ripamontio Collegæ noſtro haud temerè calamum attrectanti. *Reliquiæ*, inquit ille, pag. 441. Eccl. Hiſt., *ſic agnitæ, ſic inventæ conceſſæ Benigno Archiepiſcopo Mediolanenſi, ob inclytam ejus famam, atque ſanctitatem, ut ſervarentur in ea Urbe, quæ veluti Soror, & conſanguinea contra ſacrilegos invidorum conatus firmior, atque tutior eſſet. Ea ſors Benigni rerum, & actionum, omnem ſuperiorum Pontificum æquaſſe gloriam, & ſplendorem eſt viſa; neque alia res ejus memoratur.*

Sanè

Sanè mira *Papebrochio* debuit, ac penè incredibilis videri hæc tanta BENIGNI laus, quam memorandam ita duxére noſtri Majores, ut reliquas omnes, queis cœlum meruit, ſilentio involverint.

11 Alia nos argumenta fortaſſe latent, quæ tum Cyprios, ad hoc nobis præſtandum munus, adegerint. Quod ſi nullum apparet aliud, tum ego ſemper inſiſtens Patriis Traditionibus, ad rem fortior inſurgo. Traditio eſt, *quam deſerere abſque ratione certa, non eſt fas*, Caput S. Barnabæ, quô ipsô annô ejuſdem Corpus repertum eſt, fuiſſe Mediolanenſium Legatis dono conceſſum. Hæc Traditio per ſe incredibilis, ſtatim fidem capit, ſi hanc adjungas aliam Traditionem, nempe Eccleſiam Mediolanenſem ab hoc fuiſſe Apoſtolo procreatam. Quid enim magis rationi conſentaneum, quàm ut in ea Eccleſia Parentis ſui Caput coleretur, quæ non earum modo, quas genuit Barnabas, ſed èt omnium poſt Romanam, princeps erat Eccleſiarum? Viden', quàm mirificè TRADITIONES hæ complectantur ſeſe adinvicem, atque communiant?

12 Quod autem ſingulæ Civitates Toloſa, Genua, Neapolis, atque aliæ Caput Barnabæ integrum: Ticinum tertiam ferè partem: Cremona, Anderéa oppidulum in Bergomatibus, Praga, & Camerinum partes haud exiguas penes ſe habere gaudeant, Cl. Saxius *in Gervaſ. pag.* 211. dicit non eſſe intelligendum aliter, quàm de Capite S. Barnabæ nuncupato, quod nomine tenus idem ſit, non re; niſi plures eidem velis Apoſtolo cervices appingere, aut unas credere, eaſdemque pluribi eodem tempore, conſtanti miraculo conſervari. Integrum enim, verumque nomine, ac re Caput S. Barnabæ, ùt dixi, colitur apud nos in Baſilica Philippi, recognitum a S. Carolo, & ipſius ſuffragio Papebrochii comprobatum.

CAP. XIV.

ANACEPHALÆOSIS

Cum appendice; in qua aſſeritur èt D. PAULI prædicatio Mediolani habita, ad confirmandam Eccleſiæ Mediolanenſis Apoſtolicam Originem.

1 TAndem Apologiſmum hunc Primum deduximus ad umbilicos. In immenſum abeam, ſi velim ire per ſingulas rationes, ac monumenta; queis evidenter probant Noſtri, ac Ciſalpini ferè omnes Galli, prima ſeſe Evangelii præconia ab hoc Apoſtolo audiſſe. Auſim dicere, præter Catholicas Traditiones, aliam vix haberi tam firmam, tam latè diffuſam, tantâque ſubnixam multitudine Doctorum, & auctoritate, ut, ſi Bacchino hæc ipſa diſplicet, profectò nulla placeat. Sed quum Traditio quælibet vel minima Orthodoxæ Eccleſiæ tanta eſt, ut ei obſiſtere ſit hæreticum: tum maximam temeritatem ſapit, tot peculiarium conſonis Eccleſiarum Traditionibus, abſque ratione ſolida, contraire. Monet enim Apoſtolus: *Tenete Traditiones* (a); & paſſim Sancti Patres *Traditio eſt; quid quæris amplius?* Hoc fulcro ſuſtinet Baronius pleroſque Martyres, de quibus etſi nihil omnino conſtet; hoc tamen ipſo, quòd in aliqua pro Martyribus Eccleſiâ habeantur, ſtatuit non eſſe latum unguem a Majorum fide recedendum. *Cum verò* (ſic ille in Notis ad Martyrologium die XXV. Maji littera A.) *cum verò ex his aliquot inveniantur dicti Martyres a nonnullis Eccleſiis, licèt eorum martyrii acta non habeantur; antiqua tamen Tra-*

(a) *Ad Theſſal. 2. Cap. 2. v. 14.*

Traditioni Eccleſiarum, in quibus ùt patroni coluntur, adquieſcendum putamus. Stet enim oportet fides Majorum; donec poſteris perſpicua ratione non conſtet oppoſitum. Ecqua verò adſtruitur ratio diffitendi ea, quæ nos didicimus de Italico Barnabæ Apoſtolatu a Majoribus tradita? Frivola, imprudens, ac ſano cuique, cordatoque homini adſpernanda. Nam, ut ſummatim recolam jam dicta, quo triennio Barnabas a Petro abfuit, cur in Italia eſſe non potuit? Si negas, Bacchine, doceas (nam tuum eſt probare) ubinam triennale ſpatium illud omne extra Italiam inſumpſerit. Nobis enim certò favet conſenſus Doctorum, te excepto, ferè omnium: favet Traditio originis immemorandæ: favet ratio poſſeſſionis mille annorum, te ipſo confitente, memoriam ſupergreſſæ; ultro enim confeſſus idem es, Octavo jamdudum Seculo Traditionem hujuſmodi viguiſſe.

2 Lucas verò in diſceſſione Barnabæ, Paulum ſecutus, nihil mirum, ſi de Italico ejuſdem itinere nihil in Apoſtolorum Acta retulerit. Certè iiſdem in Actis, nullum aliud contrarium iter, aut opus adſtruitur. Quid ergo? Num, quia nihil meminit S. Lucas, ideo putes Barnabam triennium illud omne quieti, atque otio dediſſe? Immò verò idipſum probat, noſtrum Apoſtolum in remotiſſimas Italiæ oras peregrinatum fuiſſe; quem propterea Lucas cum Paulo aliorſum longè digreſſus, calamo aſſequi noluerit.

3 Cæterùm probet, neceſſe eſt Cenſoria illa, quam tantopere veneror, Caſſinenſis Infula probet, & evincat aliquid Traditioni certò, & evidenter repugnans; nam (quod ſæpiſſimè imprimo, & nunquam ſatis) actore non probante, ſtat firma, & inconcuſſa manet Traditionis poſſeſſio. Eſt enim contrà naturam, velle quemquam, ob rationem dubiam, de poſſeſſione certa depellere. Quid verò, quum ne dubiæ quidem prudenter ſint, quæ in oppoſitum rationes afferuntur? Nam quod ante Seculum Octavum, ùt allucinatur Bacchinus, nullum Scriptorem invenire ſit; prætérquamquod hæc ratio nulla eſt adverſus Traditionem,

quæ non ſcriptis Æqualium, ſed fide Sapientum, famâque a Majoribus acceptâ gignitur, ac propagatur ad poſteros. Quid? Nonne èt uſque ad Seculum Quintum, nedum Octavum, perhibuimus Alexandri Cyprienſis Monachi, aliorumque Veterum teſtimonia, præſertim Clementis Primi; cui in hac parte, qua prædicatum a Barnaba apud Italos Evangelium aſſeritur, nihil mendi ab hæreticis fuiſſe inſperſum nemo negat?

4 Præterea ſi contemporaneis ſtandum eſſet tantummodo, aut ſupparibus ſcriptis; quot ſanctiſſimæ Traditiones ruerent utcunque firmiſſimæ? Nolo a ſimilitudine rationis ad ſingula arguendo deſcendere, ne nimiùm diſpliceam. Secum ratiocinando, quid aveam dicere, tacitus quiſque concipiet animo. Mihi hoc denique reſpondeat Sapiens Cenſor, num Traditionem aliquam accipiat, an nullam? Num inter rem verbo, ſcriptove traditam aliquid putet intereſſe? Certè intereſſet nihil, ſi Scriptore coævo, aut ſuppare, omnis Traditio fulcienda foret. Addo; etiam contemporaneis vel inſcitiâ irrepſiſſe, vel dolo potuit aliqua falſitas: utì pleriſque contigit, quos pro legitimis diu habitos, demum patuit fuiſſe vel interpolatos, vel falſos. Dicta hæc obiter ſunto, ut intelligas rarò de his, aut ſimilibus *phyſicam* haberi certitudinem poſſe, atque adeo *morali* omnino adquieſcendum; quæ certitudo, ut ajebam, conſurgit ex complexione Traditionum, Scriptorum, Monumentorum, ut erroris formidinem adimat, nec niſi levem, imprudentiſſimam, ac planè temnendam cuique ſuſpicionem reliquam faciat. Quamquam verò ſatius eſt errare prudenter, quàm temere divinare; nihilominus, ùt dixi, ne prudens quidem in re noſtra ſubeſt errandi metus; quandoquidem nulla obiicitur ratio Traditioni contraria, quæ demonſtret, Barnabam eſſe in Italia non potuiſſe; immo unanimiter omnes hoc idem confitentur, licèt de tempore diſcrepent aliqui: quod ipſum nihil offendit certitudinem rei; ſicuti Petro non officit lis inter Baronium, Papebrochium, atque alios, quonam ipſe anno Romam Petrus acceſſerit.

5 Nihil

5 Nihil jam reſtat aliud, LECTOR HUMANISSIME, quàm ut blandè monitos faciam pleroſque, qui per hoſce annos, pruriente urtica novitatis, poſt olfactos præſertim celebris *Tillemontii* cortices, pullulant nimiùm proni, ad ſubvertendas Traditiones Patrum, miſcendamque turbis Hiſtoriam; quum interea nihil ipſi certius adferunt de ſuo, & omnia in medio relinquunt cavillis, & ambagibus involuta, non abſque imperitorum offendiculo; qui paulatim diſcunt, nihil credere. Nolint, per Divos Immortales, ſi nos Sancta Veritas amat, nolint tam facilè in publicum effutire, ſi qua in mentem incidit ingenioſior dubitatio, quàm ſolidior præſertim ubi agitur (ùt in re noſtra) tot Nationum, ac Ætatum fides, tot auctoritas Eccleſiarum, ac Diœceſeum, tot Cardinalium, & Epiſcoporum, præcipuè S. CAROLI, & Concilii Provincialis, & Sacræ Rituum Congregationis: quos, qui velit omnes erroris arguere, impius profectò, & amens ſit; niſi obſtent argumenta ineluctabilia, graviſſimique Auctores; quales ego certè non judico unum *Allixium*, aut alterum pariter heterodoxum, nec ipſum, quanticunque faciam, Reverendiſſimum Patrem BACCHINUM; cujus dubiola jam diſcuſſimus.

6 Quod verò pertinet ad cultum, quem non nihil imminuunt hæ ab adverſariis injectæ ſuſpiciones: *æquum*, infit Guerrinus loco ſæpè citato, *non videtur Barnabam communem Parentem ſingulari jure uſurpare; ſed potiùs Metropoli, in qua principaliter ſedit, ſuſpicere.* Singulæ ſibi colendum Eccleſiæ, ac patroni loco habendum ſumpſere primum illum Antiſtitem, quem Barnabas generalis Epiſcopus, diſcurſando per Urbes, ac Provincias, ſtabilem collocarat in unaquaque Civitate; ubi aliquod ipſe reliquiſſet ab ſe incohatum Chriſti ovile. Quod èt reor in cauſſa fuiſſe; cur omnes illæ per Orientem innumeræ gentes, quas Catholica Fides ex Actis Apoſtolorum docet, Barnabam habuiſſe inſtitutorem, hunc tamen unis peculiariter excolendum reliquerint Cypriis, apud quos ille tertiùm reverſus conquievit tandem. Fateor ſydus Barnabæ clariſſimum in hac quoque Metropoli obli-

oblituiſſe nonnihil, propter recentius jubar, proximiuſque Doctoris AMBROSII, ſive ineffabili Superùm conſilio, ſive naturâ nos ad ea fortiùs ducente, quæ utiliora videntur ex proximo. Tantá enim Ambroſius Eccleſiam hanc ſapientiâ perfudit, tam ſalutaribus inſtitutis efformavit ex integro, ut ipſum, ceu Conditorem alterum, ſuſpexerint noſtri Majores, omneſque poſteri colant. Ex quo enim ſancitum eſt, ut ſingulæ Eccleſiæ, unius dumtaxat Tutelaris Patroni diem feſtum cum pervigilio celebrent; Clerus, Populuſque Mediolanenſis, Ambroſio ſeſe ex pluribus uni Patrono jugiter obſtrinxit. Et poſtquam nova Divi CAROLI benefica affulſit lux præ ſe vivam Ambroſii, atque in Ambroſio, Barnabæ imaginem ferentis, ferventiorem Mediolanenſium religionem in ſe convertit.

7 De his ſatis. Mihi jam Sanctum Barnabæ Parentis nomen alacriùs imploranti liceat ea fidentiùs recantare, quæ natalitio ejus die, lœta præmodulatur Eccleſia noſtra ad Veſperas, ac Matutinas Laudes. *Reſpice de Cœlo, & viſita vineam iſtam, & dirige eam, quam plantavit dextera tua.* Primum omnium numine tuo, Antiſtitem noſtrum fove CAROLUM CAJETANUM STAMPAM; qui quum haſce mihi Vindicias imperavit: tum ſentit, quid ſibimet tanti Deceſſoris laus imperet. Me verò è genu ſupplicem ſuſtine in tantum ævi, ut exequi ea poſſim, quæ ad illuſtrandam Eccleſiæ tuæ Liturgíam, ac Hierarchíam enixè molior.

Hæ ſunt Orationes, queis utitur Ambroſianus Liturga: ſubdo etiam Præfationem Miſſæ. *Concede, quæſumus, Omnipotens Deus, ut B. Apoſtoli Barnabæ, cujus prædicatione gloriamur, etiam protectione gaudeamus.* --- *Da nobis, quæſumus Domine Deus noſter, B. Apoſtoli tui Barnabæ interceſſionibus adjuvari, ut per quem nobis cœleſtis doctrinæ rudimenta donaſti, per eum ſubſidia perpetuæ ſalutis impendas &c.* Præfatio. *Omnipotens Æternæ Deus, quia Apoſtolorum Collegio S. Barnabam aggregaſti magnificis meritò præconiis extollendum. Hic namque Ciprius ex ſtirpe Levitica natus, terrenorum contemptor, Zelator cœleſtium ad pedes Apoſtolorum, agri ſubſternit pretium.*

pretium. Hic ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis aſſumptus in Apoſtolum ſublimatur. Hic Antiochiæ, Romæ (ùt contra Baronium defendit Papebrochius loco citato) *Mediolani, ſemen Verbi ſui diſſeminans, gentium multitudines, Chriſti convertit ad fidem. Hic Ambroſianæ Eccleſiæ primus Pontifex, prærogativâ Metropolitici honoris ipſam inſignivit &c.* De hac prærogativa legendi ſunt Carolus a Baſilica Petri, Euſtachius a S. Ubaldo, Salvator Vitalis, atque alii paſſim.

8 Claudat hanc Diſſertationem, idem Carolus Novarienſis Epiſcopus *Hiſt. Eccl. Lib.* I. *Quid de Barnaba diſputamus? Ipſe etiam Apoſtolorum Princeps PETRUS, ſi Metaphraſti* (ubinam, haud ſcio) *credimus auctori Doctorum omnium teſtimonio gravi, Mediolani fuit; ut jam ſine levitatis culpa, Eccleſiæ Mediolanenſi Apoſtolica fundamenta gratulari poſſe videamur.* Petri veriùs conſortem PAULUM, Mediolani evangelizaſſe fert veterum ſenſus Scripturarum penes Puricellium in Nazariana Cap. 9. *Dicunt quædam Scripturæ, quod S. Paulus ſpecialiter ſedem B. Barnabæ ſocii ſui,* ideſt Mediolanum *inviſit.* Et infra. *Sicut habetur in hiſtoriis, B. Paulus partes Occidentis peragravit. Tunc, ut dicunt quædam Chronichæ, ipſe B. Paulus Civitatem Mediolanenſem viſitavit, quam ſciebat ſedem ſocii ſui, & habuit in ſpeciales filios Gervaſium, & Protaſium.* Mox ſubdit Puricellius de ſuo. *Quocirca ad hunc annum conjicit Baronius liberam Pauli dimiſſionem è carcere, eumque poſtea non diſſitetur, Hiſpanias, & alias Occidentis Provincias prædicando peragraſſe. Itaque per me nihil vetat credere, quominus ex eo dimiſſionis tempore, noſtram quoque Urbem Mediolanum prædicatione luſtraverit.*

9 Altum verò hac de re ſilentium, cur Apoſtolici teneant Faſti, Græcus Codex Medicæus M.S. apud Papebrochium 29. Junii fol. 422., cauſatur abſceſſionem Lucæ aliorſum a Paulo profecti, ſic. *Hucuſque narravit Lucas in Actibus Apoſtolorum, qui librum eo tempore compoſuit. Quæ autem ſunt poſtea conſecuta, poſtquam Paulo Romæ relicto, Lucas profectus eſt Thebas Bæotiæ, minimè compoſuit. Euſebius autem, qui in ſecundo Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, hæc eſt accuratè perſecutus,*

dicit

dicit Paulum, cum tunc cauſſam dixiſſet apud Neronem, fuiſſe abſolutum, & Dei Verbum, cum eſſet relaxatus, Romæ agentem prædicaſſe totis decem annis; per quos dicitur peregrè profectus in Hiſpaniam, Galliam, & Italiam Chriſti præco verbum diſſeminaſſe. Paulum igitur emiſſum carcere audiviſſe dicitur Italia per multos annos. Cur non èt noſtræ contigerit ea ſors, omnium poſt Romanam, Italicarum Urbium maximæ? Quin èt Traditio eſt apud Bollandios 19. Junii fol. 822., tum Prothaſium fuiſſe, ac Gervaſium, ipſius Pauli eloquio imbutos. *Mediolanenſes omninò volunt a vivente Paulo, & Mediolani præſente inſtructos Sanctos; idque etiam credidit Sanctus Petrus Damiani in Sermone de eorum parentibus Vitali, & Valeria*, forte in aliqua editione haud comperta nobis.

10 Niſi me Patriæ ludit amor, eò mens inclinat, ut quemadmodum Petrum, ac Paulum Roma (Papebrochius, ac cæteri addunt Barnabam) magiſtros habuit; ſic opiner, æmulam hanc Romanæ Arcis Urbem, triplici eorundem magiſterio Apoſtolorum efformatam. Et hinc forſitan Mediolanenſibus tanta erga Primogenitam Pauli Theclam enata devotio eſt; cui dudum jam Cathedralem alteram, ad Æſtiva Sacra dedicarant. Scimus, quàm magnificè ſuam hanc Paulus Diſcipulam (quæ èt Protomartyr muliebris chori fuit) deprædicabat. Baronius in Martyrol. *Thecla gemmas, & mundum muliebrem diſtraxit, pecuniáque ſibi conciliavit Cuſtodes carceris, ut Paulum poſſet inviſere.* Et ex Joanne Chryſoſt. in Actis Apoſtolorum Homil. 25. idem Cardinalis: *pugnanti Theclæ*, ait, *aſtitiſſe Jeſum Chriſtum præſeferentem vultum Pauli Apoſtoli.*

CAP.

CAP. XV.

PERORATIO,

Cum Deprecatione, adjecto Opuſculorum etiam aliquo ſubſequentium ſpecimine.

1 HÆc de Origine Apoſtolica Mediolanenſis Eccleſiæ, dicta ſufficiant, multò ſanè plura, quàm quæ in animo conceperam, at meritis longè pauciora tanti Parentis noſtri. Meæ quidem tenuitati non minimo labore ſtetit hæc Diſſertatio, in componendis rebus, quas dixi, & in iiſdem clarè, ordinatèque dicendis. Haud enim ego ex confragoſa obſcuritate captem ſubtilis ingenii exiſtimationem; ſed malim ipſe concoquere dura, quàm ruminanda præbére Lectori. Non levis autem in eo eſt labor, ne excúſa videatur, ac laborioſa, ſed facilis, ac ſpontè fluens oratio.

2 Paulò quidem ſtrictiùs potuiſſem, & expeditiùs agere; ſi mihi tantummodo res fuiſſet cum Viris Doctis, & non etiam fortè ſimulantibus; quos ſeduxit lectio perfunctoria, & auctoritas quorundam: neminem indico, ne iraſci queat, niſi qui velit de ſe confiteri. Hos perdifficile ſit, palinodíam canere; etiamſi de re penitus edocti, contra magiſtrum ipſi dejerantes reclament pueri.

3 Quantulaquæque verò ſit, hac meâ valdè lœtor Patriæ impensâ operâ, aſſertoque illo Inſubribus honore, quem Tertullianus *magnum*, dixit, *& invidendum*, *poſſe evolvere ordinem Epiſcoporum ſuorum &c., ut primus aliquem ex Apoſtolis habuerit auctorem*. Neque meherclè invidia defuit, & quidem ùt eſſe graviſſima inter finitimos ſolet: queis propterea ſic reſpondi, ut cura tuendi ſui major eſſe debeat, quàm nos in poſterum laceſſendi.

Duro

Duro tamen fui ad id ipſum compulſus telo neceſſitatis, ne videri poſſet mediocribus etiam Municipiis poſthabita a Deo tanta URBS, tot cæteroquì divinis beneficiis adaucta, ut præter CAROLUM, ſex ac triginta Epiſcopi ad Divos relati, uni huic contigerint; & ex Orthodoxæ Doctrinæ quatuor Archimagiſtris, duos ſortita hæc una ſit AMBROSIUM, partumque ab eo Grandem AUGUSTINUM; quocirca ùt indecorum, ita èt incredibile videatur, Dei Apoſtolos, qui ſtatim reſpexére ad culmina Urbium, Mediolano Papíam antetuliſſe.

4 Hiſce igitur de Apoſtolîcæ Originis nobilitate peractis vindiciis, alias gradatim ineo, atque alias dimicationes pro Patriæ Religione, ac pro Sacroſanctis Traditionibus; quæ quantum ſilentiô, patientiâque noſtrâ ab Novatoribus detrîmentum capiant, refellendo certè magis, quàm tacitè ferendo intelligemus. Commoveor ego quidem, ac penè fatiſco identidem cogitans, quot meo capiti impendeant præpollentes Adverſarii; qui ſacrarum hujuſmodi Traditionum everſiones in rem ſuam convertunt. Sed quid agam? Num èt ego eorundem privatæ allucinationi deſerviam? Abiiciam ne animum, triſti exemplo futurus, ne quis Patriæ ſtudeat; quò èt audentior fiat licentia impunè carpendi meliora Excellentiſſimæ Civitatis, & Ambroſianæ Eccleſiæ honeſtamenta?

5 Age mi anime. Eò redeat, unde initium, & auſpicium ſumpſit oratio. Denuò, & enixiùs imploro PURPURATUM ipſius Eccleſiæ PRINCIPEM; cujus hìc partes aguntur præcipuæ. Simul & ſupplices manus tendo ad CLERUM, POPULUMQUE MEDIOLANENSEM, omneſque Ordines oro, ne mihi malo ſint labores, vigiliæque undeviginti annorum, quos communi bono gratis impendo; neve privata in me quorundam ſimultas vergat in damnum Patriæ; cujus ego Antiqua Monumenta undequaque ex tabulariis collégi, pluribuſque edere Voluminibus in lucem paro. Opus hujuſmodi perquam neceſſarium, in Diœceſana Synodo, jam decretum fuerat Trigeſima Secunda Cap.

De

De Monumentis Eccleſiæ colligendis: ideo maximopere eſt cavendum, ne huic jam abſolutæ Collectioni, perperam labefactando Collectoris fidem, bona exiſtimatio pereat.

6 Adeſtóte ergo Vos Patriæ Magni Patres, JULI, & ANNIBAL, cæterique VICECOMITES. Illuſtre ego monumentum ſpondeo Seculi Undecimi; quod Veſtro Generi, ſeu Stirpi Vicecomitum REGIÆ obtundat injectam falcem. Tuque oh! & Litterarum Altor, adeſto CAROLE PERTUSATE; cujus in domo librariæ panduntur aulæ, ut èt mihi loculus pateat, ſi quando mea debeam collectanea aliorſum recipere, & inedita tot millia hujus Diœceſis antiqua Lipſana, Diplomata, Privilegia mecum transferre. Cæteros, queis vovi ſingula Volumina, Patronos ſuis aptè locis adprecabor; ac Te præſertim Magne Adoleſcens VITALIANE Comes BORROMÆE, in ſpem Eccleſiæ Avis parem aſſurgens; cujus amori innutrior, omnium grati auſpicis meorum, & inſtinctoris operum, ac laborum. Singulos demum obteſtor Patres Litteratiſſimos ABDUAS, ARCHINTOS, BELLONOS, CACCIAS, CASATOS, CASTILIONÆOS, COLLAS, LAMPUGNANOS, MONTIOS; Voſque memorandi cum primis PUTEOBONELLI, REZONICI, SORBELLONI, SFONDRATI, SIMONETÆ, SYLVÆ, TRIVULTII, VERMES, VERRIque; nec non magnanimos precor quotquot alios zelatores Patriæ; & qui Præfecturam ejus gerit, FRANCISCUM SCLAPHENATUM; & qui Præfecti locum obtinet, PAULUM a SYLVA. Fovete, quæſo, unanimes Bona Studia, & probè animatos Cives patrocinio veſtro tegite. Ne verò paulatim hæreditariæ Mediolanenſium laudes eant peſſum, ſuſtinete Antiquas Traditiones, ac earum defenſorem, ùt me profiteor, minimè inertem, pro veſtra virili defendite.

7 Sequens Apologiſmus DE ANATHEMATE S. AMBROSII, locum occupat extra ordinem chronologicum; ſed anxiis fuit plerunque votis obſequendum. Cæterùm ego, poſt ORIGINEM APOSTOLICAM, maluiſſem juxta ſeriem temporum, permulta diſceptare de Ambroſiani Cleri Inſti-

Inſtitutione, ac Hierarchiâ, de antiquis ejuſdem Sedibus, Ritibus, Baptiſteriis: quæ, & alia explebunt Volumen Alterum duplo ferè majus. Præcipuæ tamen eò partes intenduntur, ut ſarta Archiepiſcopo, ejuſque Ordini Primario decora, ac jura maneant adverſus callidas quorumpiam artes; qui ut lædere tutiùs poſſint ſtato tempore, & rem trahere ad adverſarios, induunt ſibi perſonam, & fucos inducunt patroni, immò èt laudatoris. Meus ergo labor erit perpetua defenſio TRADITIONUM, quas Critici recentiores nonnulli carpunt; ac proinde totus ero in iiſdem repellendis vi Diplomatum, ac Monumentorum, in Archivis hodiedùm otiantium.

8 Veruntamen ne videar aliquando vana ſpecie Traditionis, vulgique ſermonibus duci, aut permoveri: ſtatim aggredior ſubſequentem Apologiam *De Anathemate Ambroſiano contra Gallos*; ubi vulgaris opinio inaniſſima oppugnatur totis lacertis, atque convellitur funditùs, utpotè obſiſtens ſanæ rationi, & omnium Contemporaneorum fidei evidenter oppoſita.

Index Auctorum promiſſus ad calcem, locum obtinuit aptiorem in Prolegomenis.

FINIS PRIMI APOLOGISMI.

Ad Laudem SS. Barnabæ, Ambroſii, & Caroli.

APOLOGISMORUM MEDIOLANENSIUM

VOLUMINIS PRIMI PARS ALTERA

Continens

Diſſertationem ſuper Anathemate Sancti Ambroſii contra Gallos,

Ubi

Ambroſiana Liturgia conciliatur cum Hiſtoria, & a vano maledicto Francia, ac Germania vindicantur

EODEM AUCTORE

D. NICOLAO SORMANO

S. T. Ambroſianæ Bibliothecæ, Collegiique Doctore, Imperialis Baſilicæ S. Ambroſii Canonico Honorario, Sacerdote Oblato Ven. Congregationis SS. Ambroſii, & Caroli.

MEDIOLANI)(MDCCXL.

Ex Typographia Petri Franciſci Malateſtæ.

Superiorum permiſſu.

EXCELL.^MO D. D.
CAROLO A STAMPA

S. R. I. COMITI, MONTIS-CASTELLI &c.,
EQUITI HIEROSOLYMITANO,
S.C.C.M. AB ARCANO CONSILIO,
GENERALI PEDESTRIS MILITIÆ DUCI,
REI TORMENTARIÆ IN STATU MEDIOLANI
PRAEFECTO, ET
IMPERIALI PER ITALIAM PLENIPOTENTIARIO &c.

PATRONO, AC MECOENATI OPTIMO.

D. NICOLAUS SORMANUS
OBL., BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ, COLLEGIIQUE DOCTOR.
S. P. D.

P*Vgillarem hunc ſpecie exiguum, at rerum, quas complectitur, GALLO-GERMANICARVM momento magnum, quonam dedicem meliore, quàm abs Te, emiſſo alite, ò VIRVM, generis præſtantiâ, & honorum,*

gra-

gradu verè EXCELLENTISSIMUM; *quem Gallis æquè, ac Germanis ſancto Fœdere, & quodam quaſi chariſmate confovendis, hac ætate commodarunt nobis Superi? Cum meos omnes,* EMINENTISSIMO FRATRI TUO, *Diſſertationum, quantulæquæque ſint, faſciculos voverim: tum verò manipulum hunc, Galliæ ſimul vindicias, ac Germaniæ complectentem, optimo Tibi jure nuncupo.*

Notum famâ, calamiſque eſt quamplurimis pervulgatum, Octavo abuſque Seculo e Gallia extitiſſe genus Tuum; dum CAROLUS *ille cognomento* MAGNUS *Francorum Rex, præferente ſcutum* JOANNE *à* STAMPA, *Urbem hanc ab Gallis conditam, Barbarico Jugo exemit, collapſumque Occidentis Imperium reſtituit ex integro. Tua exinde in Inſubribus ſata Heroum grandis propago, poſt* Lanfranchum *ex Optimatibus Patriæ: poſt* Balduinum *Montiſcaſtelli Dynaſtam, paci cum Marchione Montisferrati iciendæ adlectum: poſt* Marchum *Ghibellinæ factionis Cæſareæ principem: poſt* Johannem *alterum, qui primo Duci Sfortiadum Urbem ingredienti pompam duxit, epiniciumque præmodulatus eſt: poſt* Franciſcum, Petrum Martyrem, Herme-

tem,

tem, *& alios patratos Patriæ Patres, tandem cum tulit* Maximilianum, *qui Patriam ipſam Ducem jam ſuo deſtitutam*, *CAROLO V. in fidem tradidit; abs quo tum Arcis præfecturâ, tum privilegiis ampliſſimis adauctus, nobis expendendum reliquit, utrum magis apud Francos olim genus Tuum, an apud Germanos poſtmodum claruerit.*

Nam ut de Avo, de Parente, ac de ipſo Patruo Tuo ſileam Uberto *Hiſpaniarum Magnate, ad Luſitanum Regem Legato, qui èt Auguſtiſsimam Eliſabeth è Catalaunia reducem juſſu Cæſareo concionabundus excepit; Majorum ſanè omnium gloria in Te uno, CAROLE comprehenſa mihi videtur; dum cogito plena CÆSARIS poteſtate apud Italos dudum jam fungenti, ob ſumma ſapientiæ, ac politicæ probitatis edita exempla, Tibi creditam fuiſſe Vrbem illam, quam vocant* Italiæ Clavem, *difficillimo eo tempore, ac formidoloſiſſimo. Patéret utinam iſtheic locus ei pangendo Diplomati, quod in Collectione mea editum iri ſpondeo, ad Te nuperrimè datum, totoque elucubratum marte Cæſareo; quo in Diplomate mediusfidiùs nil fingi aliud, nedum excogitari magnificentius poteſt. Quod ſummæ*

pane-

panegeris cumulo redundat; hoc ſemel dixiſſe ſat eſt, VELLVS illud AVREVM, quo ſolet Imperator Equites permagnos inſignire, delatum eſſe ad Nepotem ex Fratre Tuum D. D. CHRISTIERNVM, Excellentiſſimum Equitem, poſità vix-dum prætextà.

Sed jam miſſis laudibus, quas nec mea oratio capit, nec Tua facilè modeſtia fert, præfandi honoris loco, ediſſeram pauca in ſummam Operis, & quæ me ratio potiſſimùm impulit ad hanc Dedicationem nomine, auſpicioque ineundam Tuo.

Tres eodem anno 1339. conſurrexerant in perniciem Italiæ Lodericus *Inſuber*, Canis Scala *Veronenſium Tyrannus, ac gigas* Malherba *Svitiorum quorundam tum maximè ab DVCIBVS AVSTRIÆ rebellantium Ductor. Hoc velut triumvirali claſſico exciti ad latrocinium Italicum ſceleſtiſſimi confluunt quotquot ex hac noſtra Ciſalpina Gallia, atque ex Helveticis, quæ ad Gallo-belgiam ſpectant, tremendis Alpibus: quàquà agmen incederet, non militum, non prædonum ritu, ſed furentium inſtar belluarum, pueros, & innocuas virgines mactant, fœda latè per agrum Mediolanenſem edita clade. Ad ipſam verò Vrbem funditus exſcindendam,*

dendam ; quum junctis ad Oronam amnem copiis properaret, atrox prælium haud Parabiago procul conſeritur ; quo ex antelucana hora in occiduum Solem producto, quum Mediolanenſibus amiſſo Duce, actum jamjam, conclamatumque eſſet, viſu mirabile! ſub noctem è cœlo fulſit, atque adſtitit Divi AMBROSII Urbis Patroni equeſtre ſimulacrum ; cujus Flagello attrita hoſtilis acies repentè procubuit.

Tantae monumento Victoriae ara poſita cum epigraphe, quæ docet pugnatum ibi contra GALLOS eſſe, uno generis vocabulo Galliam utramque complectens Ciſalpinam ſcilicet, ac Belgicam, quæ Germaniam continet Svitios, ſeu Helvetios continentem. Hinc illatae libris Liturgicis horrendae cantiones dirarum plenae contra GALLOS, quos adpellant Italiae peſtem, & immanibus obruunt maledictis. Pulſis exinde apibus, FLAGRUM appingi Ambroſii imaginibus cœptum eſt, quo tum viſus e cœlo eſt, Gallos inſectari. Inde verò ad hanc diem manavit error, ac procax dicterium, quo quid vulgatius? quid celebrius? Gallos, quos Itali Francigenas vocant, præ ſe ferre peſtem, ac ſepulcrum: ejectos ex Italia fuiſſe æterno, inexpiabilique maledicto: iis Ambroſium,

* *anteà*

anteà melle , & gratiis fluentem , truci vultu intendere flagellum , plagaſque comminari . Sileo cætera ; quæ in proloquium , ac penè in religionem abeunt ignorantibus ex hac ipſa Italo-gallia noſtra (quod fateri nos hiſtorica veritas cogit vel invitos) erupiſſe illam hominum colluviem ; queis adjecta Svitiorum quorundam fæce, maledixit Ambroſius , & adhuc vel pictus minatur .

At enim errori huic tam inveterato danda erat venia ; quòd Gallicanæ ejuſmodi execrationes , iræ, diræque nitebantur auctoritate Ambroſianae Liturgiae. Namque quotannis , ſtata die ad omnes aras noſtræ Diœceſis , ritu ſolemniore canebantur , deliteſcentibus interea alto ſub pulvere coævis Scriptoribus , qui undenam orti fatales ii Galli fuerint , perſpicuè declararent .

O Ætatem , quam CAROLI VI. dono vivimus litteris , ac ſcientiis perbeatam ! Auſpicio, atque ope tanti Principis , quem Italicae Hiſtoriae Parentem jure colat ætas omnis , prodiére per hoſce annos ex archivis , quotquot anteà latuerant manu exarati Codices , & illi etiam , qui diſerto calamo , explicant celeberrimum illud S. Ambroſii oſtentum

contra

contra Gallos. At quid ii tandem ſynchroni au-ctores perhibent hac de re? Quid duo Annaliſtae Mediolanenſes, Anonymus, *ac* Flamma? *Quid* Azarius, *geminique* Cortuſii? *Quid* Eſtenſium, Bononienſium, *ac* Piſtorienſium *Chronicorum Collectores, quos habet ea Rerum Italicarum Sylloges, AUGUSTISSIMO conſecrata? Hæc una omnium concors ſententia eſt, vim illam latronum, ac ſicariorum Ambroſiano disjectam fulmine potiſſimùm erupiſſe ex Germania; eos certè verbis ſynonimis paſsim vocant* Alemannos, Germanos, Theutones, Teutiſcos; *& quod vix credi poteſt, ex tanto numero Scriptorum nemo eſt unus, qui Gallos, aut Francigenas vocet.*

Itane verò? Num igitur Ambroſiana Liturgia fallitur, hiſtoricæ fidei tantopere abſona? Herclè non defuere, qui marmor illud cum epigrapha ad aram Victoriæ proſtrans confringendum dicerent, ac Libris Liturgicis ſpongiam minarentur tanquam mendoſis, utpote loco Theutonum, Gallos execrantibus. Secus qui geographiam callent, laudare epigrapharium, & Ambroſianum liturgam haud immeritò commendare; quòd una Gallorum voce, Theutones

ſimul, atque Italos ſint complexi.

At enim dolor! tota illa moles anathematum, ab Francis jam relabi videtur ad Germanos, & quae fata hactenus, atque effata triſtia de Flagro Ambroſii, de Italiæ Sepulcro adverſus Gallos vulgò, falsòque credita ſunt, eadem contra Germanos, Viri Docti in poſterum credant? Hoc caput, hic cardo eſt hujus Diſſertationis meæ, quam propterea duxi, EXCELLENTIÆ TVÆ *nuncupandam. Quis enim haud gravatim ferat, iis ipſis Scriptoribus, qui tanto Litteratorum plauſu, auſpicioque Cæſareo in lucem emanant, lædi Germanicum nomen, ac tantopere dehoneſtari?*

Primam ſanè partem, quae ad Gallos attinet, orſus jam fueram ex eorundem Procerum nutu. Veruntamen pro Auſtriaci Fœderis Sacroſancti reverentiâ, tam juſtam, quam neceſsariam Gallicanæ gentis ſuæ defenſionem diferri placuit, quoad prodiret altera hæc Apologiæ Pars, quæ inaniſsimam eandem, mendaciſsimamque Ambroſiani Anathematis notam, ab Germanis quoque depelleret.

Ecce verò jam prodit, ac tota ſimul provolat in ſinum EXCELLENTIÆ TVÆ, *nixa Scrip-*

torum

torum teſtimoniis, præclarè enarrantium, teterrimam illam maledictorum hominum vim erupiſse præſertim ex Helvetiis; queis jampridem avulſis ab Imperio Germanico, & Auſtriacae ditioni immorigeris, nihil cum reliqua Germania commune erat aliud, præter nomen. Accedit ratiocinatio hiſtorica ſanè multiplex; quòd Mediolanenſibus in eo diſcrimine laborantibus, Germanicae adſtiterunt auxiliares copiae; quarum Ductores quatuor præcipui, ob rem in eo prælio fortiter geſtam, donati equeſtri baltheo ad aram Ambroſii, fuere. Illa verò omnium præſtantiſsima ratio; quòd eodem anno Ambroſianâ Victoriâ claro, FOEDUS erat idem Sanctiſsimum, quod impræſentiarum eſt: FRANCIA, AUSTRIA, GERMANIA, juncto Pontifice BENEDICTO, atque ACTIO VICECOMITE Mediolanenſium Principe, Sacrum gerebant ſociale bellum, adverſus communem Imperii, & Eccleſiæ hoſtem.

Habes elenchum apologetici hujus Opuſculi, MECOENAS OPTIME; ſimulque èt percipis rationem, Tuis avibus initæ Dedicationis; cui adornandæ non faciam, quod ſolent omnes: contra morem, de Tuis laudibus eximiis, de avita Gloria, cui quæ

par

par oratio? conticeſcam. Ad immortalitatem Nominis Tui conſacrandam, noſſe hoc unum ſufficiat, quantum Tibi debeat FRANCIA, quòd tandem fuerit poſt quadringentos annos, Auſpice Te, ab inani utcunque maledicto liberata? quantum GERMANIA; quòd maturè cautum ſit, ne probrum idem, ad ipſam relaberetur? quantum HISTORIA, & Ambroſiana LITURGIA, queis vana ſuſpicio erroris, ac mendacii ſit adempta?

Agnoſco equidem Numen AMBROSII, qui ut perficerem hujuſmodi Vindicias, Tibique devoverem, mentem indidit hoc potiſsimùm tempore, quo SANCTUM viget Gallos inter, ac Auſtriacos toto plaudente Chriſticolarum orbe FOEDUS Auſpicatiſsimum, Te apud Italos graviora Cæſareæ Majeſtatis momenta accurante: quorum ſanè maximum eſt hoc ipſum, quod Tibi ſiſto toto pectore complectendum. Magni enim Tua intereſſe debet, quidquid ad GERMANICUM Nomen, FOEDERATOSQUE intereſt.

ELEN-

ELENCHUS

Capitum hujus Secundæ Diſſertationis.

CAP. I.

EXplicatur occaſio, quâ ad hæc ſcribenda adjeci animum; & omnia referuntur ad D. D. MAURITIUM ADRIANUM a NOVALLIO DUCEM. fol. 125

CAP. II.

DESCRIPTIO ELENTICA Apparitionis S. Ambroſii ad Parabiacum. fol. 133

CAP. III.

SCEPTICA DISQUISITIO, qua ratione credantur hoſtes ii a Sancto Ambroſio ad Parabiacum cæſi, de genere Gallorum fuiſſe. fol. 138

CAP. IV.

DISSERTATIO GEOGRAPHICA ſuper amplitudine, ac multiplici Galliarum genere. fol. 148

CAP. V.

Solvitur quæſtio, ac probatur, Flagro, & anathemate Sancti Ambroſii Franciam minimè offendi. fol. 152

CAP.

C A P. VI.
Series Chronologica Scriptorum enarrantium pugnam, ac Flagellum S. Ambroſii, contra Italo-gallos, ac Gallo-teutones. fol. 161

C A P. VII.
Explicatur in textu Galvanei, dictum illud Teutonicum *Rithband Henrich*; ſimul èt oſtenditur, per id tempus Francos, Auſtriacos, Mediolanenſes conſpiraſſe contra Ludovicum Imperii, & Eccleſiæ perduellem. fol. 173

C A P. VIII.
De Credentia Sancti Ambroſii Digreſſio. fol. 185

C A P. IX.
Sequens Diſſertatio Germanos quoque, ab eadem Maledicti ſuſpicione eximit, quin èt Ambroſianæ laudis conſortes, & noſtræ ſalutis vindices probat. fol. 197

C A P. X.
Prodit altera Scriptorum claſſis; qui litteris Italicis rem eandem perhibent. fol. 199

C A P. XI.
Tertia adducitur Scriptorum Centuria perſpicuè declarantium maledictos eos Teutones potiſſimùm erupiſſe ex Helvetia. fol. 207

C A P. XII.
Alia duo inſigniora Sancti Ambroſii oſtenta contra Barbaros, cum Digreſſione ſuper antiquo principatu Archiepiſcopi Mediol. fol. 223

CAP.

CAP. I.

Explicatur occaſio, qua ad hæc ſcribenda adjeci animum; & omnia referuntur ad D. D. MAVRITIVM ADRIANVM a Novallio Ducem.

1 APologiſmo itaque Primo functi, in quo decus Originis Apoſtolicæ adſeruimus Eccleſiæ Mediolanenſi, cætera jam animo affectemur alacriore: atque in primis Eccleſiæ ipſius Liturgiam a mendacii notâ, Galliamque ſimul, & Germaniam ab Anathemate Ambroſiano vindicemus.

Altè animos inſedit opinio triſtis, perinfenſa gloriæ Francorum, perfugas eos, ſicarios, errónes, latrones, totum demum illum furfure hujuſmodi conflatum turbinem, quem anno 1339. S. AMBROSIUS Flagro disjecit, atque immortali maledicto pepulit ex Italia, de genere Gallorum fuiſſe: factum inde, ac retentum morem, ut Mellifluus Parens, cui pridem os dulce, alludenſque ori Apum examen appingi conſueverat, verſa fronte, totâque ad bellum compoſitâ imagine pingeretur trux, minaxque, ceu Gallicanum adhuc telum minetur, ac premat hoſtem. Hanc adverſus famam, fidemque velut a Majoribus traditam, etſi animo tacita quædam obluctabatur reverentia erga Gentem eam, quæ Ambroſio noſtro impertiit uſuram primæ lucis: ingenuè fateor, egomet ex iis fui aliquando, qui tentandæ veritatis inerti faſtidio, aut caſſo conatu abſterriti adquieſcunt ſententiæ communi, utvis improbæ, præſertim quòd errorem hunc commendabat ſpecies religionis, petito de ara ipſa teſtimonio ejus CANTIONIS Euchariſticæ, quâ quotannis celebrabatur actio gratiarum, ob admirandum illud *S. Ambroſii* oſtentum contra GALLOS.

2 Porrò hanc nominis ſui tantam labem jam ad quadringentos annos tam ægrè ferunt GALLI, quam facilè prudens exiſtimet; cum enim ſemper indoluére omnes: tum mederi potuit nemo; quandoquidem ii, quibus evinci, atque depelli error poterat, alto pulvere obducti Codices jacebant in tabulariis, inſtar gladii in vagina reconditi. Sortem hanc diu incaſsùm expetitam adſervarant Superi in eam diem, qua DUX a NOVALLIO MAURITIUS ADRIANUS in Italiam deſcenderet. Rem tamen exordiar neceſſe eſt altiùs paulò.

3 Annò 1735. tantus HEROS, ut primùm ineunte Aprili Mediolanum venit, famâ Virum præeunte ita excepit hæc Urbs, ut ſummi illum, atque infimi certatim in oculis ferrent. Cùm pacis, bellique artibus, & omnimoda eruditione excultus, tum pietatis, ac religionis ſtudio præcellens, ut rerum agendarum primordia a Deo caperet, ad Templum Maximum, dein ad Sancti Ambroſii phanum (quo ſanctius ferè nihil habent Inſubres) acceſſit ſupplex: utrobique functus re divinâ, quum in ſacrarium digreſſo inter alia rara, atque præclara, oſtentarentur etiam Codices Ambroſianæ Liturgiæ pervetuſti, ſcitari cœpit anxius de illo *Miſſali*, ac de *Flagro* illo tam celebri, tam famoſo, quod in Mediolanenſi Cimiliarchia ſæpè fando audierat aſſervari. Utrumque, ut par erat, oſtenſum eſt. Poſtridie in Bibliothecam hanc Ambroſianam venit; ac multa ſuper eodem *Miſſali* ſollicitè percunctatus, quum in eo legeret ad diem XXI. Februarii *De Victoria Parabiagi*, ſeu *de Apparitione Sancti Ambroſii* horrendas preces, dirarumque enunciationem, prout ibi extant contra GALLOS, ſubſtitit aliquantiſper: mox ſuſpenſis in Cœlum oculis: *Miror*, inquit, *Sanctum Ambroſium tam malè iis dixiſſe, a quibus ipſe lucem hauſit*, nemine interim ex iis, qui litteratum Bellatorem circumſteterant ad obſequium, hiſcere auſo; niſi quòd aliquis fortè advena, tactum religione animum, blando verborum effugio eluſit potiùs, quàm exſolvit. Poſt hæc, ad ineunda pacis Italicæ negotia, aliorſum iter arripuit.

4 Haud ita multò pòſt, tertio nempe Kalendas Majas, reddi-

redditæ mihi litteræ fuerunt cujuſdam Viri cumprimis docti, eximiâque modeſtiâ præditi; queis me inſtanter admonebat, ſi quid certi, ac ſincéri de illo Anathemate, ejuſque Flagri inſtitutione ſciri poſſet, id EXCELLENTISSIMO DUCI, ſibique etiam multò gratiſſimum fore. Tum ego velut expergefactus convertere animum cœpi a vulgari præjudicio in diſquiſitionem veri; & unâ lucernâ in altum Solem productâ, penitius quodquod monumentum ejus Parabiacenſis pugnæ, unde tota quæſtio manat, inveſtigare ſum adnixus.

5 Dum præproperè evolvo, quotquot ad manus fortè obvenerant Scriptores ejus ævi *Azarium*, *Flamam*, *Cortuſios*, *Morigiam* Seniorem, ac demum totam Cl. *Muratorii* noſtri locupletiſſimam ſillogem CÆSARIS AUGUSTI ope, & auſpicio Mediolani recèns editam: ecce mihi tanquam ex abdito improviſa veritatis affulſit lux. Hæſi pol, ùt qui oculis vix fidunt. Alios ſubindè, atque alios perſcrutatus *Eſtenſem*, *Bononienſem*, *Piſtorienſem*, & eos potiſſimùm, qui geſtæ rei proximiores loco, & tempore fuerunt; ubi tandem ſolidæ veracioris Hiſtoriæ compos fui: tum arrepto calamo, reſponſum reddidi, feſtivi plenum ingentis nuncii; cujus hæc erat ſumma: demptam eſſe tandem aliquando larvam turpi, ac rancidæ illi fabulæ *de Flagro*, *de Anathemate S. Ambroſii contra Gallos*: e pulvere, atque latebris emerſiſſe litterarum lumina; queis meridiano Sole præclarius fit, undenam ii confluxerint mortalium teterrimi, quos, ceu tabidas canes, ad Parabiacum mactavit S. Ambroſius: id longè aliud quodvis Gallorum genus eſſe præter Francos, Germanoſve, ac præſertim Auſtriacos; qui tum omnes ſacro Mediolanenſibus, ſanctoque adverſus Eccleſiæ, & Imperii hoſtes, fœdere juncti erant.

6 Ad hæc, quantum pati modus epiſtolæ, & anguſtia temporis poterat, allegabam locos hiſtoricos, & Auctorum ſententias innuebam tum fortè prodeuntium ex Archivis; quos ſi mediusfidius in tempore habuiſſent noſtri Majores, nunquam tanto errore Gallicanæ genti, & Ambroſianæ Liturgiæ indecóro laboraſſent.

7 Ergo hujuſmodi litteræ meæ, quanta Doctiſſimi ejus Viri animum voluptate perfuderint, ſtatim intellexi. Nam præterquamquod eas communicavit cum pleriſque Procerum, quos religione exſolutos mira eſt alacritas ſubſecuta: DUX ipſe a NOVALLIO, pro ſua comitate incredibili, quanquam medio in æſtu curarum ingentium, ad me dignatus eſt, epiſtolam exarare his ferme apicibus; queis profitetur, Criticam hujuſcemodi illuſtrationem ſuper Ambroſiano Anathemate ſibi fuiſſe multò jucundiſſimam; ac pro certo eandem probatum iri CHRISTIANISSIMO REGI; ſuumque mihi patrocinium clementiſſimè pollicetur.

Illuſt., e Rever. Signore.

HO con ſoddisfazione avuto il plico di V. S. del dì 7. corrente. Certo mi rieſce di aggradimento ſommo la Critica Illuſtrazione, cui ſi è compiaciuta ſare agli anatemi di maledizione, i quali trovanſi nell' antico Meſſale Ambrogiano De Victoria Parabiagi, contra Gallos. *Mi dichiaro a Lei ben tenuto di così fina attenzione, e pronto a dimoſtrarle la mia gratitudine in ogni incontro di ſuo ſervizio. Credo, che rieſcirà pure a guſto di S. M. queſta ſua virtuoſa fatica; e con rinovarle gli atteſtati dell' obbligo, che le conſervo, ſono*
Di V. S. dal Campo di Sabioneta 15. *Maggio* 1735.

Affemo Sevitore
Il Mareſcial Duca di Novallies.

8 His ita acceptis, imperavi ægrè mihi, ne pleriſque auſcultarem ſuadentibus, ut abſque mora, typis ederetur ea Critica Illuſtratio, ac publici juris fieret. Etſi enim breve quiddam erat, paginas octodecim vix implens, impetu calami, ut tantæ obſequerer ſollicitudini, effuſum; idipſum tamen non Celtarum modò inclyto nomini, ſed queiſcunque veritatis amatoribus perjucundum fore judicabant. At ne rem ego prorſus inconditam, nec præ mea quidem tenuitate elabo-

elaboratam ſatis, in medium proferrem, abſterrebat dignitas argumenti, atque ipſa magnitudo cauſſæ. Agitur enim FRANCORUM gloria a Flagro, a Maledicto, a Poſtliminio Italiæ vindicanda, cui ſapientiſſimè cautum velim, tum pro FOEDERIS AUSTRIACI religione, tum maximè propter inſigne Oraculum Gregorii Noni, jugem, ac plenam Regno Galliarum felicitatem indubiè pollicentis. *Sicut Tribus Judæ inter cæteros filios Patriarchæ, ad ſpecialis benedictionis dona ſuſcipitur: ita Regnum Franciæ præ cæteris terrarum populis, prærogativâ honoris, & gratiæ inſignitur* (a). Agitur præterea GERMANORUM etiam gloria, & AMBROSIANÆ integritas Liturgiæ, cui tutandæ, ùt aperiam in calce, multiplici nomine ſum adſtrictus. Nam quum Miſſalia ad diem XXI. Februarii, execrentur Gallos ſolemni carmine, non ſecus ac Italiæ peſtem; ſynchroni autem Scriptores adfirment, illam hominum colluviem fluxiſſe potiſſimùm ex Germania, hercle niſi èt comperiſſem Scriptores alios, qui perſpicuè declarant peſtiferam eandem hominum vim erupiſſe ex Helvetiis, Rhetis, Cænomanis, Inſubribus; ea certè Ambroſiana execratio non injurioſa modò nomini Germanico, ſed mendoſa, ac fallax cuiquam videri poſſit, geographiam minus callenti, qui haud ſciat Germanos, Helveticos, Cænomanos, Inſubres comprehendi ſub una câdemque Gallorum enunciatione.

9 Quanti verò interſit expungere levem quemque erroris ab Liturgia noſtra, vel mendacitatis nævum; quanti præterea ſive Francorum intereſſe debeat, ſive Germanorum decus ita defendere, utne videantur ab Eccleſia Mediolanenſi unquam fuiſſe anathemate exploſi; certè videt quiſque, ſi modò intelligat, quanta ejuſdem Eccleſiæ auctoritas, & amplitudo ſit, quantòque major olim fuerit. Hæc enim eſt, cui ab origine Latini Patres, ac Græci deferrent primas. Nam & *Chryſoſtomus* ab Orientali Concilio appellans, ad *Innocentium* litteras dabat, ſimulque ad *Venerium* Mediolanenſem (b): & in re trepida *Aurelius* (c) cum tota Synodo Aphricana

(a) *Epiſtola XXXI. apud Labe. Concil. Tom. XI. Part.* 1. *fol.* 366.
(b) *Emmanuel Scheltratus Tom.* 2. *diſſert.* 4. *Cap.* 5.
(c) *Concilior. Tom.* 2. *fol.* 1081. *Edition. Labe.*

cana *Venerium* eundem, & *Anaſtaſium* Magnum Patrem conſultos voluit ſupplici legatione. Erat enim ampla Sedes Imperii conſtituta, tum propter temperiem cœli, ac rerum omnium affluentiam, tum propter loci naturam; quod iſthinc Galliæ ſuccurri, ſeu Germaniæ commodiùs utrique poſſet. Hæc ideo inaugurandorum ſtatio Regum Italiæ fuit: qui mos ad Francos, ſive Teutonicos venit, ut de manu Præſulis noſtri, jura Italici Regni, nedum inſignia capeſſerent.

10 Quod verò ad Liturgiam pertinet, hoc loco meminiſſe juvet, quanti eam ipſi facerent Galli. Nam Karolo illi Gallogermanico, cui grandia facta cognomentum fecére Magno, quum annuente Papâ, mens eſſet Occidentalium ritus Eccleſiarum compingere in unum omnes (creverat enim eò uſque novitatis ſtudium, ut unaquæque Gens ſuum ſibi cuderet quaſi municipalem Ritum) ſucceſſit quidem ex voto, ut aliis abrogatis omnibus, tres tantummodo Liturgiæ Latina, Græca, & Ambroſiana reliquæ fierent. At quum de hac etiam extinguenda initum conſilium eſſet, exſurrexit *ille Eugenius* (a) *Gallicani nominis Epiſcopus, Caroli Magni Cancellarius, ac in baptiſmate Pater, clamans, & ejulans -- ha! ha! decus Mundi tam Græcorum, quam Latinorum obnubilatur, OFFICIUM AMBROSIANUM, flos Officiorum, Orbis doctrinæ. Miſer, quid agam? myſterium perit myſteriorum, de quo Papa* Gregorius *aliquid ſiniſtrum proferre timuit; de quo quanta, & quam magna quaſi lucidiſſimos flores curioſè attrahens, Romano myſterio interſeruit. Mihi videntur Ambroſiani Ritus Orbis decus, univerſæ Eccleſiæ lumen, Officii Gregoriani gemma, & ornamentum. Si eos delere ſtet ſententia, me quoque rebus humanis eximite --* Plura de his cupienti ſufficiet *Beroldus* auctor integerrimus M.S. apud Vicecomitem loco citato.

11 Mutua quædam olim videtur inter Ambroſianos fuiſſe, & Gallo-theutones viciſſitudo Rituum. Nam & Gallos ùt primum condita ab Ambroſio fuit, arripuiſſe Hymnodiam teſtatur Concilium Turronenſe II. Cap. XXI.: *licèt hymnos Ambro-*

(a) *Apud* Joſephum Vicecomitem *Volum.* 2. *de Miſſæ Ritib. Lib.* 2. *Cap.* 12. 13. *pag.* 173. 193. 196.

Ambroſianos habeamus in Canone &c.. Nos autem ipſi Mediolanenſes mutuati illud ex Gallia fuimus prædulce melos (a), quod jamdudum ante Seculum XII. Mediolani fuerat in uſu MELODIÆ FRANCIGENÆ jamtum appellatæ. Germanis verò qua parte ſuberant Mediolanenſi, ad Moguntinum poſtea Epiſcopum traductis, ſummo Ritus Ambroſii habitos in pretio fuiſſe probant Litteræ omnes ſupra a nobis evulgatæ Apolog. I. Cap. V. Pauli, ac Gebeardi Ratisbonenſium anno circiter 1130. (b). *Scire me facias, quos, & quot Epiſcopos Suffraganeos habuerit Eccleſia Mediolanenſis, antequam Moguntina dilatatio terminos ejus inſtrinxerit. Nequaquam enim invidemus, ſed plurimùm congaudemus amplitudini honoris Ambroſiani.* Et infra. *Deſine admirari, ſi Ordo Ambroſii, ſuaviſſimi Spiritus organi, quem Diſcipulus ejus* Auguſtinus *traduxit in Aphricam, nobis quoque transferatur in Germaniam.* Hæc pauca iterum meminiſſe juvat ad intelligendum, quàm magni momenti ſit, levem quamque expungere ab Liturgia Mediolanenſi ſuſpicionem mendacii, aut mendi; ſimulque probrum illud propulſare mendaciſſimum, quod Ambroſianus Liturga, Francos aliquando, aut Germanos confixerit maledicto.

12 Quamobrem tota hæc quæſtio, quum ſit Hiſtoricorum pluribus, Geographorum nonnullis, & Liturgarum etiam quæſtiunculis involuta: iccirco viſa eſt mihi paulò altiore indagine, retexenda. Equidem juſtum opus aggreſſo calamum in ipſo conatu, mentemque excuſſerat pavor, ne forte Gallorum iſta defenſio, Germanos Socios eorundem, ac rerum Dominos offenderet, ad quos videntur triſte idem fatum Ambroſii detorquére Auctorum plurimi. Cautiùs ergo ſuperſeſſum eſt, donec ea quoque nacti fuimus hiſtorica documenta, quæ èt Germanos vindicant ab eadem ſuſpicione: iraſque omnes, furiaſque conjiciunt in alpeſtria Rhetorum juga, & Helvetiorum; tametſi eorundem quoque & vindicias, & laudes pangam ſuo loco.

13 Primam itaque Opuſculi hujus partem, quæ Gallicana Apo-

(a) Puricel. *Monum. Ambr. num. 645.*
(b) *M.S. in Archivo Ambroſ. Baſilic. Mediol.*

Apologia eſt, exegi annuente NOVALLIENSI DUCE: ipſius etiam ex voto aggreſſus perfeci Partem Alteram, cui Germanicæ inſunt Vindiciæ: totum opus quantulumcunque eſt, ut mutua utrinque, & par gratia contingat, Sacro, Sanctoque duxi AUSTRIACO-BORBONICO FŒDERI nuncupandum. Haud quidem ambigo, quin Volumen hoc, ipſa tarditate auctius factum, aliorumque Apologiſmorum acceſſione, gratius aliquantò ſit futurum. Certè DUX idem a NOVALLIO, vel inter ſumma rerum molimina, nunquam averſatur Libros præſertim, qui Gallianæ conferre laudi aliquid poſſunt. Vidimus enim ipſi nos, quum in Italiam deſcenderet, præ ſe vectare librarias ſarcinas: quòquò moveret gradum, ponè ſequi mobilem Bibliothecam dorſo clitellariorum impoſitam. Quantum enim alii tribuunt ambulacro, commeſſationi, ſcenæ, aleæque; tantundem ipſe aris ſecretioribus, & optimarum ſtudiis facultatum ſolet impendere.

14 Si qua verò notio eſt tanto digna Lectore, hæc profectò eſt, cujus eſt idem auctor. Idem enim DUX mihi haud tale quicquam cogitanti hanc mentem indidit ſuo quaſi numine, & eruditæ vocis ſono: *Vix credibile eſſe, Divum Ambroſium tam dira ſuis potuiſſe Galligenis imprecari.* Hoc velut oraculum, atque index me inopinantem deduxit in eam ſemitam, qua contemporaneos Scriptores comperui inobſervatos anteà, aut certè collatos nunquam cum Ambroſiano Miſſali, ut deprehendi poſſet error, atque ex errore ſatæ in Gallos affaniæ caſtigari.

15 Ergo inter alia ab Eo apud Italos edita monumenta, hoc fortaſſe non erit infimum, quod Ambroſianum anathema, & inania ſpectra Gallorum, vaniſſimæque terrificationes ſint extinctæ. Nam quod Italicam pacem ipſa tractatione difficillimam ſummâ ſapientiâ perfecerit, celebrabuntur hæc, & alia quidem ejus facta litteris omnium, atque linguis. At neſcio, an id honorabilius ſit futurum ad memoriam poſteritatis ſempiternam, quòd commentitium illud omen Ambroſii, unde tot in vulgus dicteria adverſus Gallos emanant, ex Italia prorſus abſtulerit. Sed priuſquam aggrediar

rem,

rem, præmittenda eſt totius rei ſumma, ut quæ ſequuntur, ad intelligendum illuſtriora fiant.

CAP. II.

DESCRIPTIO ELENTICA

Apparitionis S. Ambroſii ad Parabiagum.

1 ANno CIↃ. CCC. XXX. IX. moderabatur Inſubrum res ACTIUS, ſive Azo; de quo faſti Reginenſium libri: *Azo Vicecomes fuit Vir probus* (a). Reliquam panegerim ejus exequitur *Galvaneus de la Flama*, æquævus auctor Tom. XII. Rer. Italicar. fol. 1029. *Azo Vicecomes licèt juvenis xxxvii. annorum, erat tamen Pater omnium religioſorum, amore pacis, affatu dulciſſimus, vultu, & voce ſupra modum conſpicuus: nemo inimicis remiſſior: nemo in concedendis gratiis glorioſior: dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione erit.* Divinæ tamen Sapientiæ, ùt ſolet, eundem lubitum eſt in adverſis probare fortiùs, ſimulque vel portentis oſtendere, quantæ eſſet idem Princeps, Superis curæ.

2 Ergo æſtate media, Rheticæ Alpes extulére tetrum cometem, verſo in Inſubres atro jubare, triſte omen adventantium Barbarorum, quos paulò pòſt, vetus cladium ſator Italicarum Septentrio in nos parturiit. *Lodericus* (quem èt Lodriſium ſcribunt) genere Inſuber, regni ambitu, quod in Patriam machinabatur, proſcriptus, quàquà canere bellicum cœpit. Ad hunc ſceleſtiſſimos quotquot ex Italia concivit ſpes prædæ, novandarumque cupido rerum. Alpinæ etiam gentes plurimæ ex Lucano, Lario, Verbanoque Lacubus confluunt, Duce *Malherba* Helvetico homine. Jungunt

(a) *Chron. Reginenſ. Tom. XVIII. Rer. Ital. fol. 55.*

ſeſe iis ad Oronam fluvium equeſtres copiæ, quas mercede conduxerat *Canis Scaliger* Veronenſium tyrannus, Actii juratus hoſtis. Capto hinc ſimul omnes ex impetu conſilio, nihil minus, quàm de Lodriſio in Regnum Patriæ adſerendo cogitant; aſpernatique ejus mandata, agrum Mediolanenſem omni clade belli vaſtantes, Urbem ipſam aggredi parant, civeſque ad unum omnes, fœda occidione conficere, iis dumtaxat relictis, qui victori arva colerent.

3 ACTIUS podagrâ æger, ùt in re trepida, accitis affinium ſibi Principum auxiliis, *Luchinum* patruelem tanto ire obviam ingruenti exitio jubet. Dies agebatur memoranda in ævum omne, nona ante Kalendas Martias, quâ Lignianum inter, ac Parabiacum campus latè panditur, collatis ſignis, tanta vi dimicatum eſt, ut ea longè minor pugna fuerit, qua eodem propè in arvo ſub annum 1176. Fridericus ille everſor Urbis fractus, fugatuſque eſt. Præter fidem atrox certamen ab antelucana in extremam horam diei traxere tot variantis fortunæ vices, ut proximiores periculo fuerint, qui vicére. Mediolanenſes numero impares, Luchino Duce amiſſo, abjectis paſſim armis per avia, & oppletos nivibus campos, ab inſecuto fugientes hoſtili equitatu cædebantur: quum deſperatis fortè rebus ſupervenit ala cataphractorum Allobrogum: hi victoriâ exultantem hoſtem adorti, dum pugnam inſtaurant (dictu mirabile!) SANCTUS AMBROSIUS utroque exercitu adſpectante, atque in miraculum erecto, devectus equo effræni per aera labitur: mox ſuper hoſtium capita, flagellum immane quatiens excurrit; equitantemque ponè ſequitur pavor, ac ſtrages Barbarorum, viris, equiſque aliis ſuper alios magno velut turbine præcipitantibus.

4 Quo tum pependerit in diſcrimine Mediolanenſium res, illuſtri ſit argumento celebritas Victoriæ, in hanc uſque diem culta ſacris ſolemnioribus. Effuſa muris Civitas convolavit in locum pugnæ; ibique vovit Templum, quod hodiedum viſitur eodem *S. Ambroſii de Victoria* nomine, auſpicioque elegantiùs reſtitutum. Sacer inde perenni religione inter neſaſtos ille dies eſt relatus. Cœpit exinde, vigetque mos appin-

appingendæ Ambroſii iconibus SCUTICÆ; qua tum cædere hoſtes, inſectarique viſus è cœlo fuit. Sancitum quoque, ut Præfectus Urbis cum Ædilibus, Collegiaque Opificum, ac patresfamilias nono quoquo Kalendas Martias adeſſent in æde Victoriæ, ſacra anniverſaria facturi: quod vitio temporum, ac laſcivientis de more pubis, in tanta confluentium ſexus utriuſque multitudine, S. CAROLUS antiquandum duxit, juſſis iiſdem ritè peragi ſacris in Ambroſiana ad Urbem Baſilica.

5 Occupat votivæ ejus Ædis ara major glebam eandem, ubi captus Mediolanenſium ductor Luchinus ab Gallis, illigatuſque ad arborem ſtetit. Sedente Divo Carolo, cum Altare idem, in medium Odéi tranſponeret Famauguſtanus Præſul *Hieronymus Ragazonius* (is qui Cypro ab Turcis occupata, ſeceſſerat anno 1572.) ſubtùs apparuit caudex arboris putens, ac ſtatim glutine ſoluto, laxatus in pulverem. Phano huic ex ære publico acceſſit fundus, in alimenta duorum Sacrificum ab Ædilibus Urbis eligundorum; ſed ara, dos, & omnia anno 1484. dono obvenere (a) Fratribus S. AMBROSII AD NEMUS (b), retento Ædilibus jure ex eorundem cætu Cucullatorum duos adlegendi, qui ad aram Victoriæ litarent bis in diem. Anno 1647. rerum potiti Ciſtercienſes longè nobilius cœnobium condunt: quod ipſum novo adauctum, ampliorique delubro fuit anno 1711.

Hæc de Victoria S. Ambroſii ad Parabiacum, ſummatim dicta ſufficiant. Et quoniam incidit mentio priſci ejus Sanctambroſiani *ad Nemus* Sodalitii, quod una cum Auguſtini Regulis, Ambroſii Ritum profitebatur, moneo adhuc in Orobiis ſupereſſe Montanæ Deiparæ ſupra Variſium dicatas Virgines, quas ita alloquebatur Innocentius PP. ad annum 1484. *Dudum Abbatiſſa, & dilectæ in Chriſto Filiæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Annunciatæ De Monte Ordinis S. Ambroſii ad Nemus, ſub Regula S. Auguſtini &c.*. Ipſæ ecgraphum ſervant Diplomatis Eugenii IV. Dat. Florentiæ anno 1441. ritè adprobantis

R 2

(a) *Hieronymus Raphael. cart.* 124.
(b) *De hoc Ordine fuſius ego in Hiſtoria Sanctuarii ſupra Variſium.*

bantis ſuum hunc ipſarum Ordinem: is modò Codex in Bibliothecam Poloni Regis devenit, ùt dixi in Hiſtoria Sacri Montis, quam Auguſtiſſimæ Imperatrici dedicabam anno 1739. *Eugenius &c. pro parte Dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis S. Ambroſii ad Nemus, extra muros Civitatis Mediolani, ſub Regula S. Auguſtini degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi, & alii Priores, & Fratres aliorum Monaſteriorum, locorum, & domorum, qui ſub obſervatione dicta Regulæ viventes, in diverſis Italiæ partibus, quæ Congregatio Fratrum S. Ambroſii ad Nemus Mediolani nuncupatur &c.* Sed abrumpamus prolixiora hæc, quæ parùm quadrant ad rem. Tria nobis notabiliora ſuggerunt prælibatæ Eugenii litteræ: primævum ſacræ ejus Ambroſianæ ſodalitatis domicilium conſtitiſſe forinſecùs, propè Jovis Portam (nomen adhuc Sancto Ambroſio ad Nemus) quod Franciſcani obtinent ſtrictioris normæ, verſo in hortos nemore, ac permultis hinc inde affitis olitorum magalibus. Totius ibi Ordinis Ambroſiani fuiſſe Protomagiſtro deſtinatam perpetuò Sedem; cujus adprobandi perenne ad Mediolanenſem Archiepiſcopum jus ſpectaret. Hæc ſtrictim ex Diplomate Eugeniano.

Neque ego Traditioni obſtem huic pervulgatæ apud Morigiam *Cap.* 41. *Orig. delle Relig.* idem hoc aſceterium ante Benedictinos, & ante quævis Cœnobia, primùm a Divo Ambroſio pro laycis fuiſſe inſtitutum, quod ſe Mediolani vidiſſe (alterum enim viderat Romæ) teſtatur Auguſtinus *Confeſſ. lib.* 8. *Cap.* 6., dicturus certè, ſi aliud conſpexiſſet uſpiam. Nullum ſanè primordium aliud, quod ego ſciam, adſcribitur ſylveſtri huic Fratrum Ordini pridem ante Eugenium IV., & ante memoriam omnem latè per Italiam propagato. Congruit ipſa affinitas loci; de quo Franciſci Petrarchæ (diem is magnum clauſit anno 1374., uti ex ejus tabulis teſtamenti) inſignis ſententia eſt Lib. 2. de Solitar. Vita ſect. 3. Cap. 2. *Sanctus Ambroſius habitavit, ubi adhuc Sanctum Corpus habitat &c. Quoties Epiſcopalibus curis liber &c. in ſecretiorem ſolitudinem ſe conferre ſolebat. Sylva erat quamvis proxima, contemplationi tamen idonea &c.: nunc ſylva convulſa eſt, muta-*

toque

toque loci habitu, manet nomen AMBROSII NEMUS &c. Illic ut audio, & auguror, librorum mellifluos flores ſparſit. Eccleſiam poſtea ibi lautiorem extruxit Gabriel de Boſſiis anno 1467., uti ex publicis tabulis. Plura de his Puricellius *M.S. Bibl. Ambroſ. F. D. num.* 114. Cæterùm Ambroſii ritibus hodiedum & Auguſtinianæ utuntur aliquot, & Benedictinæ Moniales pleræque: cujuſmodi ſunt Buſti in Oppido Majore, & intra Urbem Lentaſianum, ac tria Magdalenæ, Chriſtinæ, ac Marcellæ dicata Virginum Collegia. Sit hoc Epiſodii ſatis.

CAP. III.

SCEPTICA DISQUISITIO,

Qua ratione credantur hoſtes ii a Sancto Ambroſio ad Parabiacum caſi, de genere Gallorum fuiſſe.

1 COmpendiaria hucuſque nobis exacta narratio eſt. Sed enim cupidiùs tu, neque immeritò percunctére, cur ii potiùs ex Gallia, quàm aliunde, peſtiferi mortales dicantur in Italiam immiſſi, Italiamque exinde fama ferat, in ſepulcrum Galligenarum fuiſſe converſam. Itane verò? Celtica ea Gens, quam boni antea ſemper alites huc advexerant; quæ noſtram hanc citra Alpes condidit, ac de ſuo Galliam nomine Ciſalpinam adpellavit, in eademque Gallia, quotquot extant illuſtriora municipia, & ipſam hanc Mediolanum Urbem (quæ *pridem*, ut inſit Strabo, *vicus erat*) ad hujus tantæ extulit Metropolis majeſtatem, ut eſſet Regni Inſubrum caput (a), ſedeſque Regum, longa propagine a Belloveſio deducta ad invidiam uſque, terroremque Romæ; *Galli enim*, teſte Ruffo, *qui Italiæ partem tenent, ubi eſt Mediolanum, bello Romam petierunt, cæſiſque ad Aliam exercitibus Romanis, Capitolium obſedere*; unde lata lex de vacatione Pontificum, dempto Gallico bello, cujus ne Pontifices quidem immunes forent: illa, inquam, Gens auſpicatiſſima, cujus ope, Italia excuſſo tandem jugo Langobardorum, Imperialis Coronæ honeſtamenta recepit, qui honos Gallis ſtetit, quoad fatis volventibus devenit ad Saxones: ea Gens, inquam, piiſſima, quæ toties Petri Navim extra Italos fines turbulentiſſimis actam fluctibus, in ſe recepit, ac pro virili tutata eſt, proh dolor! viſa repentè ſit, eo ad Parabiacum

(a) *Plutarc. in M. Marcell.*

cum fatali momento temporis de cœlo tacta, diris, iriſque cœleſtibus onerata, adeout dicterium procax eat in vulgus, nullibi certius Francos, quàm in terra Italica ſepulcrum habituros, triſte carmen præeunte Ambroſii Sacrifice, fixoque ad aram VERBERE, Gallicanæ ſtirpis ex Italia quondam pulſæ infami, horribilique monimento?

2 Hæc, & alia dictu improba, ac reapſe penitus falſa, tametſi apud doctos ægrè captarent fidem; inani ludificatione angebant meticuloſos plerumque animos. Namque ſibi videbantur nonnulli ſomniantes, ac deliri quaſdam Furias cernere Ambroſianæ ultionis adminiſtras, quæ jugiter excubent in Alpium ſummis cacuminibus, intentoque in Gallos Flagello procul ipſos ſtare jubeant. Macte ergo virtute eſto. Fugandis hiſce lemuribus, atque umbris erigamus hiſtoriæ facem. Hoc noſtræ Mediolanenſium Patriæ honos flagitat, utne ab impia videamur, ac malè ominatâ originem ſtirpe ducere.

3 *Gaſpar Bugatius* non infimi ſubſelii auctor, Parabiacenſe illud prælium ediſſerit ad annum 1337., chronologico falſus characteriſmo; nam Coævi juxta litteram Dominicalem *C* (Dominica enim ſecunda Quadrageſimæ majoris, XXI. Februarii edita ea pugna fuit) adſignant annum a Nativitate 1339., qui juxta diſpares epochas, eſt idem ab Incarnatione 1338. ſaltem ante exitum Martii. Molanus in Auctario ad Martyrologium Uſuardi, hæc ſignat: *Mediolani feſtum S. Ambroſii pro Victoria, ipſo invocato, adepta ad Parabiacum anno CIↃ. CCC. XXXVIII.*; ubi ut Bollandiis videtur (a) *cyclum ſuperioris temporis ſequitur Molanus; nam & illo anno ponit Boſſius, initium anni a Paſchate repetendo. Sed ſi Dominica fuit XXI. Februarii; ergo & littera Dominicalis* C, *quæ ad annum ſequentem pertinet.* Hæc infrà videas explicatiùs. Veruntamen ad rem noſtram, quid ille tandem Bugatius de Gallis habet? Ne verbum quidem. Do ſynopſim.

Ex-

(a) *Bolland. Acta SS. die 21. Febr. fol. 235.*

Excerpta ex Gaſpare Bugatio Lib. 4. *dell' Iſtoria Univerſale*: floruit is Mediolani ſub exitum Seculi XVI.

LODRISIO ſi congiunſe con Franchino Ruſca Signore di Como, e con Calzino Tornielli di Novara ſdegnato contro i Viſconti; e inteſiſi con Maſtino della Scala, vennero verſo Milano. Contro ſpedì toſto la Milizia ſua Azzo Viſconti con Liprando, e con Luchino ſuo Zio, e andarono a piantare il Campo a Nerviano preſſo il nimico. Laonde incominciandoſi ſcaramuccie ſpeſſe, una mattina, che all' improviſo ſceſe tanta neve, che giugneva alla cintura d'ogni uomo, appiccataſi una debole ſcaramuzza da piede, e da ogni parte creſcendo ſuſſidio, ſi venne alla ſomma d'un fatto d'arme. Durò gran pezzo la battaglia, nella quale fù preſo Luchino, e legato ad un arbore di noce. Il che inteſo da quei di Liprando, cominciarono a cedere, ſe da Milano freſco ſoccorſo preſto non veniva di Savoini, i quali ſenza induggio inveſtirono il forte degli avverſari sì improviſamente, che con gli altri rimeſſi d' ammo, e di vigore poſero li nimici in rotta, e in fuga, talche ogni coſa andò a fracaſſo. In quella battaglia viddero S. Ambrogio combattere; dove fù poſcia levata una Chieſa intitolata S. Ambrogio della Vittoria, *giorno feſtoſo ancha in oggi a Milaneſi, che fù alli 21. di Febbrajo.*

4 Ad hunc diem XXI. Februarii *Galeſinus* titulum ponit: *Mediolani Apparitio S. Ambroſii ad vicum Parabiacum*, faſſus tamen in Annotationibus, celebratam hanc olim diem, nomine *Victoriæ cœleſti auxilio partæ; ſed cum in Breviarii recognitione verſaretur &c., de aliorum, qui aderant, conſilio appellari potius cenſuiſſe nomine APPARITIONIS*. In Muséo ad effigiem Azonis, ſtylo rem totam preſſiore complectitur *Jovius*, nulla de Gallis mentione facta. *Lodriſius eodem livore, atque odio, quo Patrem, Avumque Matthæum fuerat proſecutus, Actium conductis BARBARORUM auxiliis, in magnum diſcrimen ammittendi Principatus adduxit. Verùm ille cruento prælio fuſus ad Nervianum* (haud Parabiaco procul) *diuturno carcere cum liberis, malignitatis ſuæ dedit pœnas*. Exactiùs narratio eadem texitur *Paulo Morigia*, qui Seculo vixit poſt ſexquimilleſimum centeſimo labente: at undenam educti illi hoſtes fuerint, æquè Jovio, ac Morigiæ incompertum, aut ſatiùs viſum, reverenti ſilentio premere.

5 Item *Boſca* in Martyrologio Ambroſiano ad diem XXI. Februarii: *Puricellus* itidem in Diſſertatione Nazariana Cap. 54. *Bollandus*, & *Henſchenius* in Actis Sanctorum, *Joannes Muſſius* in Chronicis Placentiæ, ubi ſic: *fuit prælium maximum*

mum de Parabiaco &c., omnes hi diem ſignant Februarii vigeſimamprimam Ambroſianâ Victoriâ celebrem; at nulla apud eos mentio Gallorum uſpiam fit.

5 Quid plura? Cedo mihi Breviaria antiquioris notæ: ſive illud mavis primitivo commiſſum prelo, *in Civitate inclyta Mediolani, per Antonium Zarottum Parmenſem anno* 1490.: ſive aliud recuſum *Venetiis, anno* 1539. *in Officina litteraria Leichheſtein, expenſis Domini Hieronymi Scoti*: ſeu idem tertia editione illuſtrius adornatum, *anno* 1549. *cum privilegio Imperiali ad decennium, recognitum per Michaelem Sonvicum Sacerdotem Mediolanenſem, expenſis Nicolai Landriani, & Opicini Sociorum.* Cedo aliud, atque aliud a *Franciſco Criſpo Presbytero priùs, deinde anno* 1557. *a Jacobo Aduenſe reviſum Mediolani, per Chriſtophorum Caronum, ſub ſigno Lunæ, impreſſum impenſis Nicolai Landriani, & Camilli Figini.* Breviaria hujuſmodi, præ ſe in fronte iconam gerunt Sancti Ambroſii, truci vultu, in galeam migrante infula, toto militis habitu, quàm Epiſcopi ſimiliore; dum vectus equo præcipiti, latè fundit, fugatque innumeras hoſtium phalanges; quas vulgus anteac Arrianos falsò credidit. Iconi verò ſubſuitur Kalendarium, in quo feſti ex ordine innotantur, profeſtique dies. Nono ubique ante Kalendas Martias inſunt iſta verba: *Apparitio, ſeu S. Ambroſii Victoria de Parabiago*, adjecto numero paginam indicante, in qua legere eſt Divinas preces ritu ſolemniore compoſitas, duplices Veſperas, Hymnum, Verſiculos, Pſallendas. Nulla tamen iis mentio inſperſa Gallorum eſt; & ne minimum quidem verbum nanciſcare, quo vel conjectando aſſequi poſſis, quænam cœli plaga, eam in nos latronum effuderit tantam vim. Incipit Hymnus: *Miraculum laudabile cantate &c.* Verſiculi, & pſallendæ ſubſequuntur: *Apparuit theſaurus Ambroſius &c. Poſui adjutorium ſuper potentem &c. Exaltavit te Dominus in virtute brachii &c. Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum; ne timeas &c.*

6 Orationes ſummatim ita ſe habent. *Da nobis Omnipotens Deus tua beneficia recognoſcere, qui hodierna die,*

interventu B. Ambroſii, contra hoſtes donaſti eſſe victores &c. Deus, qui in Sanctis ſemper, & ubique laudabilis, hodierna die per B. Ambroſium ab hoſtili exercitu, eripere nos, & ſalvare dignatus es &c. Populum tuum, de patrocinio Sanctiſſimi Confeſſoris, atque Pontificis Ambroſii, annua feſtivitate glориantem, tua ſemper protectione cuſtodi &c. Tuatur, quaſumus, Domine, tua ſemper dextera populum de tua protectione fidentem, & quem hodierna die, B. Ambroſii Patroni noſtri adjuviſti ſuffragiis, perpetuis ne deſinas cuſtodire praſidiis. Poſt Nocturna, Lectiones Sacræ eandem rem hiſtoricè proſequuntur.

LECTIO.

Anno M.CCC.XXXVIII. Lodriſius Vicecomes Azonis patruus, dum filium Fratris Dominio Mediolanenſi privare ſtudet, ingentem comparat exercitum ex conductitio milite, præter contubernales, & ſocios. Atque ita inſtructus, Parabiagum uſque proveniens, in eo loco caſtrametatus eſt. Adverſus hunc, Azo Mediolani Dominus, Luchinum Vicecomitem patruelem cum electiſſima manu mittit. Initâ pugnâ, quum maxima utrinque ſtrages ederetur, Luchinus ad religionem converſus, Divum Ambroſium, Urbis Præſidem ſuppliciter implorans, Tuo, *inquit*, Optime Paſtor, auxilio fretus arma ſuſcepi. Tu prædonem ſacrilegum tuis precibus, ab his mœnibus, quæ ſub tua tutela ſunt, arce; ſceleratamque victoriam, quam animo præſumpſit, extorque. *Finita prece, velut exauditam orationem ſenſiſſet, cohortatus ad audendum milites, pugnam inſtaurat. Milites Divino numine animati, tanto impetu feruntur in hoſtem, ut ſuſtineri nequirent. Itaque facta incurſione, hoſtem fugant, multos trucidant, nonnullos capiunt. Ex quo tempore, religioſa Civitas haud immemor beneficii, D. Ambroſium cum flagello depictum, in æternam rei memoriam habere voluit.*

5 Cultior paulò, & caſtigatior videtur hujus Lectionis ſtylus, quàm ut illud ferre Seculum poſſet Quartodecimum, barbarie nondum ſatis abraſa. Ea nuſquam Lectio apparet ante

ante annum 1490., quo tum primum ſuſpicor fuiſſe in Breviaria illatam. Poſtrema repetunt Lectionis ejuſdem verba *Donatus Boſſius* ad annum 1338., ac *Joannes Molanus Lib. 3. de Sacris Imaginibus Cap. 34.*: uterque morem appingendæ Ambroſio ſcuticæ referens ad illam diem, qua flagello ejus conciſi ad Parabiagum teterrimi hoſtes fuere; ſed hoſtium patriam, aut regionem, aut nomen, neuter indicat.

8 Sedet eadem hæc ſententia *Baptiſtæ Fulgoſio Lib. 1. de Mirabilibus*, haud refragari auſo Breviariis atteſtantibus, Flagrum addi cœptum Ambroſianæ iconi, ex quo Divus Pater è cœlo adfuit, horriſonum rotans verber in capita, ſcapulaſque Barbarorum. Veruntamen eos communi vocabulo, *Barbaros* vocat Fulgoſius, nullo prorſus aut nationis, aut gentis adhibito diſcrimine. Repono ejus verba. *Contra BARBAROS, prælio ad vicum Parabiagum commiſſo, quum jam Luchinus Dux captus eſſet, redintegrato prælio ab auxiliaribus copiis, quæ ſupervenerant, clarè conſpectus eſt Ambroſius, Urbis Epiſcopus jam mortuus, Barbaros inſectari; cujus numine converſâ ejus prælii fortunâ, receptus eſt Luchinus Vicecomes, atque hoſtiles deletæ copiæ. In hujus autem memoriam victoriæ, Ambroſii ſimulacro ab eo tempore flagellum, quod non antea pingebatur, addi cœpit.*

9 Verùm quid ultra tergiverſamur? (videor mihi pleroſque audire, ex vulgari ſententia, ita obloquentes) Fruſtrà Gallis effugia quærimus. Sileant ùtùt Scriptores univerſi: ipſi lapides mediusfidius ad Parabiacum inſcripti clamitant, CONTRA GALLOS. Miſſalia verò ſub idem tempus evulgata, tam apertè Gallos ſugillant, ut ne locum ambigendi reliquum faciant. Habent enim obſignatam die xxi. Februarii, Euchariſticam illam, altiſſonamque PRÆFATIONEM, qua quid celebrius? quid vulgatius? Eſt enim tota ea cantio, vehemens quædam inſectatio Gallorum, ſumma cum execratione, conjuncta; qua ſimul Ambroſio decantantur ſolemnes gratiæ, quòd eo die abegerit ex Italia Gallicanam peſtem, æternùmque exulare juſſerit.

10 Miſſalium hujuſmodi tametſi nullæ carent librariæ

 majo-

majores aulæ: illud præ cæteris curioſiùs expetitur, quod calchographico primùm opere excudit *Antonius Zarottus* hoc, in ipſius præconium, adjecto carmine.

Antoni, *patriâ Parmenſis*, *gente* Zarotte,
Primus Miſſales exprimis arte libros.

Impreſſum in Alma Civitate Mediolani MCCCC.LXXV. decimo Kalendas Aprilis. Jamque huc appello, huc cieo cupidiſſimum quemque inſpiciendæ PRÆFATIONIS ejus celeberrimæ, quæ tota Diœceſi ad omnes aras voce modulata, tonoque grandiore canebatur contra Gallos, die quaqua poſt vigeſimam prima Februarii. Recita ex Miſſali Zarottiniano fol. 251.

M. CCC. XXX. VIIII.

Die xxi. Februarii. Victoria S. Ambroſii Parabiago.

PRÆFATIO.

ÆQuum, & ſalutare, Te, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus, in hac ſolemnitate glorioſi certaminis, laudare, benedicere, prædicare. In qua famuli tui Mediolanenſes, devictis latrunculis GALLICÆ gentis, Te adjuvante, triumpharunt. Hi velut peſtifera lues, terras diſtrictus Mediolani invaſerunt, multa cæde, rapiniſque minantes. Sed tua, Domine, mirabilis potentia, virtus, & gloria, donaſti virtutem

vin-

vincendi, & miſiſti Doctorem magnificum, defenſorem noſtrum. Et interceſſio Beati Præſulis Ambroſii, alumni Confeſſoris, Mediolanenſiumque Patriæ Patroni ſingularis, tuos famulos ab impiis prædonibus mirabiliter liberavit. O beata Victoria! quomodo fuiſti pro Mediolanenſibus valde bona: magis gratiâ, quàm viribus acquiſita. Nam quum prædas, perniciemque minabantur, facti ſunt velut mortui præda victoriæ triumphalis. Et ideo cum Angelis, & Archangelis &c.

Oratio poſt Communionem.

SUmptis, Domine, ſalutis noſtræ præſidiis; præſta quæſumus, ut ſicut famulos tuos Mediolanenſes ab incurſu Latronum adeptâ Victoriâ liberaſti; ita eos a ſpiritualibus inimicis protegas, ac defendas. Per Dominum noſtrum &c.

11 Cantioni huic Gallis minimè jucundæ conſona eſt Epigrapha, quam legere cupidiùs, & exſcribere ſolent advenæ, Parabiaci in Æde Victoriæ ſculptam marmori: & quod mirére, tribus repetitam ejuſdem exempli marmoreis tabulis, ne qua fortè oblivio, aut edacitas ævi abſumeret tantæ rei monumentum; quod ideo etiam triplici fuerat expoſitum loco inſigniore, maximeque adſpectabili, ne oculos fugeret. Trinos hoſce inſpexit litteratos Lapides *Hieronymus Raphael Cre-*

Cremonenſis anno 1609., ùt idem refert pag. 123., priuſquam ædium inverterent, Templique formam novæ elegantiores operæ. Prominet, inquit, unum ex iis marmor in Odèo juxta aram maximam, hiſce exaratum apicibus. *M.CCC. XXXVIIII., quo Magnificus D. Azo Vicecomes Capitaneus Generalis hic in prælio obtinuit Victoriam contra GALLICOS incohari fecit hanc Eccleſiam, & completa hædificari M.CCC. XLIII. per Magnificos Dominos Generales ad reverentiam Dei, & Matris ejus Glorioſæ, & Sancti Ambroſii de pecunia Communis Mediolani, & dotata de pecunia dicti Communis, per quæ Commune Mediolani in dicta Eccleſia jus optinuit patronatus.*

12 Inſcriptiones hæ planè ſinonymæ nihil habent ad latinæ ortographiæ regulas exactum: omnia rubiginem olent ineuntis Seculi Deciminquarti, Viris Doctis alioqui delectabilem. Altera itidem in eoſdem ferè ſenſus tabula, ſupernè infixa veſtibulo Templi admonet ingredientes, id delubrum fuiſſe CONTRA GALLICOS ex voto erectum. Tertia demum aderat in Canonicarum propatulo ædium, ſuper oſtiolo in prætum, ſeu viridarium ferente, ubi iterum, ac tertiò contra Gallos clamitat eruditus lapis ſic.

M. CCC. XXXVIIII.
QUO. MAGNIF. D. AZO. VICECOMES.
COMMUNIT. MEDIOL.
CAPITANEUS. D. GENERALIS.
HIC. IN. PRÆLIO. OPTINUIT.
CONTRA. GALLICOS.
INCOARI. FECIT. HÆDIFICARE.
HANC. CANONICAM. ET. COMPLETA.
HÆDIFICARI. M. CCC. XLVIII.
PER. MAGNIFICOS. DOMINOS.
JOHANNEM. ET. LUCHINUM. FRATRES. VICECOMITES.
MEDIOLANI. CAPITANEOS. D. GENERALES.
AD. REVERENTIAM. DEI. ET. GLORIOSÆ.
MATRIS. EJUS.
ET. S. AMBROSII.
DE PECUNIA COMMUNIT. MEDIOLANI.

13 Hanc

13 Hanc igitur legentibus nobis iteratam bis terque inſcriptionem *contra Gallicos*, ſimul & audientibus Euchariſticam illam Gallicanæ gentis execrationem, quid ni viderentur iidem eſſe Galli, qui apud nos, *Franceſi* vulgò appellantur? Non alio quidem ſenſu intelliguntur, quotquot aliæ id genus epigraphæ apud nos habentur. Tale eſt Mediolani ad Ædem Marthæ mauſoleum, quod contra ſpectat januam clauſtri Monialium in cavedio exteriore, affabrè ſtructum ex candido lapide, ſupèr extante ſimulacro cataphracti Militis pervenuſti; is *Gallicani ductor exercitus* fuit *Caſtonus Foxius*, Ravennate in prælio cæſus anno 1512.

Eſt èt aliud memorandum marmor haud abſimilis notæ; quod monumento partæ de Venetis Gallicæ Victoriæ poſuit ad Ædem Dionyſii, Jafredus de Carolis Mediolani Præſes anno 1510. Viſitur ſilicea hæc tabula, intus Orientalem Portam inſita muro præfatæ Ædis atrium, ſeu Cimiterium obambiente; quo ipſo in loco Rex Galliarum Ludovicus equum inſcendit eâ, ùt vocant, *Strata Marina* ingreſſurus Mediolanum, ovantis in ſpeciem.

M. D. IX. I. JULII.
LUDOVIC. GALLIAR. REX. ET. MEDIOLANI. DUX.
PARTA. DE. VENETIS. VICTORIA. HIC.
EQUUM. ASCENDIT. UT. IN. URBE.
TRIUMPHARET. JUSSU. JAFREDI.
KROLI. PRÆSIDIS. LAPIS. ISTE.
ERIGITUR DIE 29. JUNII 1510.

CAP.

CAP. IV.

DISSERTATIO GEOGRAPHICA,

Super amplitudine, ac multiplici Galliarum genere.

1 MArmora illa ad Parabiacum mediusfidius loquuntur tam diſertè, ut nemo vel ipſo marmore abſurdior non intelligat, pugnatum ibi contra Gallos, & AMBROSII ope triumphatum. Inquiram modò neceſſe eſt, quàm latè pateat Gallicanum Genus, ut cum perſpectè cognovero, quot, quantæque in eodem Genere Nationes ſint complexæ; tum adhibita Hiſtoricorum face, ſignanter eam commonſtremus, quæ tantam nobis prædonum copiam immiſit; tametſi opportunè in AMBROSIANAM SCHOLAM inciderunt, edoctique ſunt ſub verbere, quanti conſtet dulci, ac Tremendo AMBROSIO devotam Civitatem velle offendere.

2 SCHOLAM quum dixi Ambroſianam (curſim digredior) alluſi ad eam Scuticam, quæ ab ejus Primicerio Scholæ geſtari conſueverat. Notior hujuſmodi ſodalitas in Eccleſia Mediolanenſi, ex decem Senibus conſtat, totidemq: aniculis (*Veglones* vocant, ac *Vegloniſſas*) qui natu majores Populi repræſentant ad ſacra ſolemnia. Eorum Præſes, teſte *Beroldo*, apud *Puricellium* loco infranotato, laicus utlibet, fortè èt uxoratus, impluviam induebat olim: quo ſacerdotali verendus pallio ſenex, inceſſu gravi, plenus majeſtate, quotieſcunque per Urbem ſupplicatio duceretur, anteibat ipſe Archiepiſcopo; elatáque ſuper caput dexterâ, minantis in ſpeciem, populo oſtentabat pertremendum VERBER. Ritu hujuſmodi utcunque obſoleto, Fagellum tamen idem religioſè habetur in Cathedrali, ac triduo Litaniſmi, circumfertur, & per-

& perhiberi etiam ſolet ad deoſculandum in quadam bulga oloſerica, unâ, vel alterâ corrigiarum extante ad oſculum. Intus latet forte manubrium ex ligno nigridiore; quod capulo inſita exertat lora quædam coriacea, ab ænergumenis, ævoque penè conſumpta. De his adi Puricellium in *Nazariana Cap.* 54.

3 Redeo ad intermiſſa; quandoquidem vix eſt effugio locus, quin apertè confiteamur, Gallos omnino eos eſſe, queis maledixit Ambroſius, & adhuc vel pictus minatur; reſtat quæſtionis cardo, ut ex innumeris cis, ultraque Alpes jacentium Galliarum populis, eos inquirendo affectemur, qui tum promeritas de Ambroſii manu plagas, nulloque delendam piaculo infamiam reportarunt. Atque in primis, ut Gallos prætercam Aborigenes, quorum in *Xenophonte*, ac *Hieronymo de Hebra. nominib.* crebra mentio, poſt univerſam terræ alluvionem reparando humano generi natos ab Caldéa voce *Gallim*, quæ navigio ſimile quiddam ſonat. Ut miſſos faciam Gallatas, Gallogræcos a *Nicephoro*, ac *Caliſto* lib. 8. cap. 53. in Aſia Minore conſitos; Gallatas enim, ad quos Pauli epiſtolæ, ac Gallatiam duce Breno inſediſſe Gallorum populos *Plinius* lib. 5. teſtatur, & *Ptolemæus* lib. 5., *Strabo* lib. 4. Tectoſages ex Narbonenſi Gallia, Feliſtobagios, & Trocios a Celtis Galliæ profectos, Phrygiam Capadociæ proximam occupaſſe; tanto hominum robore Galli valuerunt, *nullam gentem, per quas iri poſſet, rati parem ſibi armis futuram*. T. Liv. Lib. 38.

4 Ut alias id genus ſileam remotiſſimas nationes, Gallicano adhuc gaudentes nomine inde facto, quòd Galli coloniis aliquando ſuis auxerint, vel imperio adjecerint ſuo: id omnibus in comperto eſt, ipſam hanc, quam dono Divùm incolimus, partem Italiæ florentiſſimam, GALLIAM CISALPINAM eſſe, atque ita adpellari cœptam, ex quo Belloveſius, Brennuſque Celtarum Duces triumphale ſuum fœmur inſeverint, ac frequentibus communiverint pagis, caſtellis, Urbibus, adeo ut noſtram hanc perſæpè deprædicet Romanus Orator *Galliam Italiæ florem* (a).

T 5 Gal-

(a) *Cicer. Philipp.* 3.

5 Gallia verò hæc eadem noſtra, quem fugit? multipHariam didita eſt: Togata a Rubicone excurrens fluvio Placentiam attingit: quod erat vetus Romanæ ditionis limen: quæ circa Padum, & ultra, atque ſub Alpes etiam extenditur, *Ciſpadana*, *Tranſpadana*, ac *Subalpina* Gallia eſt, Italiæ portio ſanè maxima. Mitte in digitos, enumera, quot in ea inſint Gallicanæ inſitionis propagines, *Lingones*, *Senones*, *Anamanos*, *Bojos*, *Ligures*, quorum plerique (ſicuti mox probem) infenſa, eo nobis anno 1339. geſtabant arma, ut proinde ſubvereri queas, ne Ambroſiana eos imprecatio peteret. Galli verò *Iſtrii*, *Carni*, *Euganei*, *Cœnomanique* juxta communis Geographiæ tabulas, Veronam accolunt, ac finitima Tridentinis juga: quæ tum *Canis Scaliger* inſederat Mediolanenſium dirus hoſtis: hæc ilicet ex coævis palam fiant.

6 Interim age mecum, & alias curſim percenſendo recognoſce Gallicanas ſtirpes Italico immiſſas olim, & adhuc inhærentes ſolo. Senogalliam in Umbria Galliſenones: Bobium Boji: Lebicci Mortariam: Alexandriam Levi: Oſtæ Vallem Salaſſii: Segusini Saguſium, Salutiaſque, ac Taurini demum Galli Alpes Cotias habent. His procul abſit vel minima ſuſpicio maledicti. Nam præterquamquod præſentiſſimas in eo rerum articulo nobis ſuppetias attulere, nil erat antiquius apud ipſos, quàm Ambroſii numen; cui ara in Segusinis poſita SANCTAMBROSIO indiderat loco nomen celebre apud Pandulphum (a), ac Seresberienſem propter Ænobardi fugam; quum juxta Lignianum anno 1176. haud Parabiago procul, viſa Ambroſii imagine, quæ media in acie prominebat, monſtro velut exterritus dedit terga, fugáque præcipiti ad id S. Ambroſii oppidulum delatus, inibi demum ſtans, Italiæ ab ſe diu quaſſatæ felix nuncium remiſit.

7 De nobis autem Mediolanenſibus quid tandem ſentiendum videtur, qui Galli Inſubres appellamur, & ſumus? Quid de Leopontiis ad Bilintionem, ac de Orobiis Novocomum, Angleriamque interjacentibus Gallis? Eos aliquantiſper mea ſuſpicio pungit; nam & in Lacu Lario conſediſſe Lodri-

(a) *In Baron. Ann.* 1120. *Puricell. monu. Ambroſ. Ann.* 1168.

Lodriſium perduellem, & magnas ibi ex finitimis Rhetorum, & Helvetiorum jugis copias conſciſſe, auctores habeo, quos edam poſthæc. Tota veruntamen hæc Citerior Gallia, quantula pars eſt, ſi cum ea, quæ trans Alpes expanditur, Galliâ conferri velit? Illa ſatrix Gentium, illa Regnorum procreatrix, ac parens noſtra quatuor amplectitur regiones, totidem ferme æquantes regna, LUGDUNENSEM, quæ & Celtica, NARBONENSEM, quæ & Bracchata Gallia eſt, AQUITANIAM, ac BELGICAM: in his quingentæ Nationes, octingentæ Urbes, quinque & triginta Metropoles, novem ac quadraginta ſupra centum Epiſcopales Sedes numerantur apud *Robertum* fol. 12., ac *Sanmartanos* Tom. I. in Prolegomenis.

Jam verò diſpice tot inter cognomines Gallias, ſecerne, ſi potis es, quænam Ambroſiano laboret anathemate. Dic ſodes, quænam ſit Dulciſſimo Parenti noſtro tam inviſa gens, ut in eam ſævire adhuc torva in imagine, totuſque videatur in iras ferri, furiaſque? NARBONENSIS mediusfidius metum hunc tam procul abigit a ſe, quam quod regiones quatuor in ſe complexa *Occitaniam*, *Provinciam*, *Viennam*, & *Alpes*, præ ſua ſibi magnitudine vindicat decus illud eximium, nempe quod intra ejus fines conſtiterit Prætoria Galliarum Sedes, atque adeo Ambroſii Patria nati ibidem, ac procreati, quum Pater ejus item Ambroſius ſummo cum imperio Galliis præeſſet. Veruntamen idipſum decus non impari contentione ad ſe ſe trahunt CELTÆ; quorum cauſſam tutatur impigrè *VVolfangus Latius* (a). Neque ex adverſo ceſſant ARELATENSES, ac TRIVIRENSES *Theophilo*, ac *Bulengerio* (b) adnitentibus; adhuc tamen ſub Judice lis eſt, hoc uno extra controverſiam poſito, quod notant Monaci S. Mauri: *Natum eſſe in Galliis noſtrum Ambroſium; ejus parentem Galliis in iiſdem Præfecti dignitatem obtinuiſſe* (c).

T 2 CAP.

(a) *VVolf. apud Theophilum Rainaudum. Punct. 4.*
(b) *Apud eundem Rainaud. ibi.*
(c) *In Vita S. Ambroſii fol. XXXI.*

CAP. V.

Solvitur quæſtio, ac probatur, Flagro, & anathemate S. Ambroſii FRANCIAM minimè offendi.

1 AT ſupervacaneum eſt conjecturis agere; dum expromptos habemus plures viginti, qui ipſis rebus interfuere, Scriptores. Diſertiſſimis hi verbis enunciant, eos hoſtes coaluiſſe partim ex Cœnomanis, Orobiis, Inſubribus, quos noſtra hæc Gallia diutiùs ferre haud potuerat, foraſque projecerat: partim ex Rhetis, Helvetiis, Theutiſcis, quos tum fortè Auſtriæ Principibus immorigeros, & jam ſævientes profeſſa perduellione, gliſcens immodica libertatis prurigo, ac veſana opprimendæ ſpes Italiæ inceſſebat: totum vero ex erronibus equitatum concreviſſe, ac transfugis, qui Germaniam deſeruerant, æra facturi militaria apud Italos bellis civilibus diſſidentes. Porrò equites illi, quos GEORGIANOS dixere, *omnes uſque ad unum erant Alemani*: verba ſunt Petri Azarii, cui adſtipulantur duo Annaliſtæ Mediolanenſes Anonymus, ac Flamma, geminique Cortuſii Gulielmus, & Albrighetus Patavini ambo: tres item Eſtenſium, Bononienſium, ac Piſtorienſium Chronicorum collectores: nec non Bonincontrus Morigia, Bernardinus Corius, cæterique demum ſynchroni, ac neoterici omnes; quos paulò pòſt verbatim reponam ſingulos; atque ut ſemel dicam omnia, ex tam multis nemo eſt unus, qui aliter ſentiat, nedum ſecus.

2 Ad quid hoc rei eſt? dicet aliquis geographiæ expers, & hiſtoriæ parùm doctus. Quos Miſſalia Gallos nominant, iidem apud Hiſtoricos Itali, Germani, Helvetii, Rhetique nominantur? Num ergo Ambroſiana Liturgia fallitur?

Num

Num ipſa falluntur tot ſincera Hiſtoricorum teſtimonia? Alterutrum ſanè; niſi tertium quid excogites, quo ſimul Galli coeant in unum Genus cum Italis, Germanis, Helvetiiſque. Veruntamen id ipſum, quod inſtar miraculi eſt, perfectum omnino eſt Gallicani virtute nominis latè complexi non Italiæ modò, quam dixi, partem optimam, ſed Germaniam quoque ad Rhenum utramque, atque adeo Rhætos etiam, & Helvetios, quæ veluti fibræ Germanorum ſunt, atque laciniæ.

3 Te haudquaquam præterit, Vir Sapiens, univerſam triplici appellatione Germaniam contineri, SUPERA', INFERA', MAGNAque; quarum duo primores conſiſtunt intra fines Gallobelgiæ, quæ èt ipſa eſt quarta portio Galliæ Tranſalpinæ, ſe habens in toto Galliarum corpore, adinſtar unius articuli. Neque herculè is ego ſim, qui terras velim omnes, cœlumque ad Gallos trahere. Auctores habeo, quos contra, qui ſapiat, ire auſit nemo. Hos ilicet in ſuffragium voco, ut probem, tum inter quatuor, ſeptemve antiquioris, tum inter recentioris Galliæ ſeptendecim Provincias, BELGIAM adnumerari ſemper; quæ ab Rheno ad Sequanam prolatis limitibus, quatuor Metropoles complectitur Treviros, Colonienſes, Mogontinos, Rhemeſes: Belgiæ verò eidem ineſſe Auſtraſiam, ſeu Lotaringiam, Campaniam, Burgundiam, ac Germanias duas, Superam, Inferamque: quin èt Gallicanis in iiſdem Germaniis Helvetios includi, Alſatios, Lorenenſes, Briſcovios, Palatinos, Julienſes, Clivenſes &c.

4 Priuſquam tabulas geographiæ conſulam, prælibanda eſt Germaniæ ethymología haud parum luminis allatura ad hæc, quæ mox dicentur. Quidquid diſcrepet Cluverius *in verb. German.*, hujus origo nominis proximè attingit ævum Cornelii Taciti, qui anno floruit a Chriſto nato, ſupra centeſimum vigeſimo. Etenim in illo, quem *De Situ, & Moribus Germanorum* inſcripſit, pugillari Codice, *vocabulum Germaniæ*, inquit, *recens eſt, ac nuper additum*, ſubdens etiam, quonam modo id factum ſit, Tongros nempe alienigenas,

genas, quum ea circa Rhenum ſatis opima Gallorum occupaſſent arva, vulgatis, uti fit, inter indigenas Gallos connubiis, propter analogiam promiſcuæ ſtirpis novæ, cuſo recèns vocabulo, *Germanos* adpellari cœptos, *tanquam Gallorum Fratres*. Hanc Rhenanæ utrique Germaniæ originem dant, præter C. Tacitum, *Cæſar* (a), ac *Strabo* (b). *Alemanorùm verò nomen multò recentius eſt, quàm Germanorum*, ibi in notis ad eundem Tacitum ex Sententia Agatiæ, & Aſinii Quadrati. Recentiſſima omnium vox *Tedeſchi* a priſca dictione *Teuthiſch*, de qua paſſim in Onomaſticis. Notio hujuſmodi intererit permagni ad ea, quæ reſtant, intelligenda præclariùs.

5 At Tu ſubtiliùs intende animum ad hanc, quam ſtatim repono ex Gottelffio Struvio (c) perinſignem doctrinam. *Media*, inquit, *ætate*, *Germani communi vocabulo*, *Franchi*, *vel Galli appellantur*. Et infra. *Germani ſub communi Francorum*, *vel Gallorum nomine comprehendebantur*, *eò quòd potiorem numerum ii conſtituerent*. Quid aptius ad conciliandam cum Hiſtoria Ambroſianam Liturgiam? Quid hoc melius ad communicandas Gallorum viciſſim, ac Germanorum promiſcuas laudes? Quid præſtantius, ad mutuum amoris fœdus inter ipſos perpetuò confovendum?

6 Age modò: enucleanda eſt etiam ratio, cur *potiorem* Galli *numerum* conſtituerent. Ea verò ſatis elucet ex Chronicis Metenſibus, Fuldenſibus, cæteriſque apud Ducheſnium, ac Trithemium recollectis. Regnum peperit Germanicum Gallia Mater anno 841., quum (ſubdit Trithemius) *piiſſimo Ludovico*, *carnis onere ſpoliato*, *Regnum Francicum*, *quod ſolidum corpus fuerat*; *tripbariam diviſum eſt* (d), tribus videlicet filiis attributum: Lothario Auſtraſia, quæ èt Lotharingia ab ipſo nacta nomen eſt, aliæque Germanicæ Urbes: *Karolo*, *occidentalia Regna*, *ideſt Gallia uſque ad Rhenum*, *&* *nonnullæ trans Rhenum Civitates*. *Ludovico demum filio minori* *eò*

(a) *De Bello Gallico Lib. 1.*
(b) *Strabo lib. 7.*
(c) *Diſſert. 1. De orig. Germaniæ n. 32.*
(d) *Ex Lib. Miracul. S. Benedicti apud Ducheſn. Tom. 3. fol. 446. 500.*

eò quod Patrem offendiſſet, Bajoariorum Provincia tantùm conceſſa: ita Fuldenſium, ac Laureshamenſium annales. Hæc primordia Theutonici Regni ſunto, ex Galliæ viſceribus educti, procreante illud Ludovico Rege Gallo. *Ex illo tempore*, anno ſcilicet 841., *cæpta Regni Francorum diviſio. Ex uno Regno, duo fecit, alterum Germaniæ, alterum Celticæ*: Hæc Trithemius, Trevirenſis auctor. Ergo haud mirum ſit, hujuſmodi regiones conflando Germaniæ Regno tranſpoſitas, primævum nomen retinuiſſe, memores Galliæ protomatris ſuæ.

7 Quod, ut clareſcat etiam magis, cedo mihi tabulas geographiæ: ex iis confeſtim evinco, Galliam ſupremum genus eſſe, cui ſubeſt Germania, perinde ac membrum corpori. Deinde etiam oſtendam, ipſi Germaniæ ſubeſſe Helvetios, uti membro cuivis inſunt articuli. Quæ quum propalam fecero: tum demum perſpicuum fiat, cur eadem omninò gens modò Germani, Helvetiique apud Hiſtoricos, modò Galli apud Liturgas appellari conſueverit; quandoquidem eæ voces *Galli*, *Germani*, *Helvetii* ſynonymæ ſunt, ac rem omnino eandem ſonant.

8 Jacobus Sirmondus ex ante Seculum Honorii Auguſti, *Galliam* notat *diviſam in Provincias ſeptem Lugdunenſem, Aquitaniam, GERMANIAM, Belgiam, Narbonenſem, & Alpes* (a). Tabulæ verò Franciſci Thuani, Philippi Sault, Alexandri Petavii, Joſephi Scaligeri, Galliam partiuntur in Provincias ſeptendecim, queis ſemper adnumerant Moguntiam, Auguſtam Trevirorum, Coloniam Agripinam, ac cæteras Urbes, quæ Germaniam utramque integrant, ceu partes intimæ.

9 Quod autem Helvetii ad Germanos, Germanique ipſi ad Gallobelgas ſint referendi, do tibi præclariſſima Georgii Brunonis, (b) Andreæ Althameri (c), (ſi fas eſt damnatum Scriptorem vel de nomine furtim attingere) Beati Rhenani, (d) Claudii Roberti (e), Æneæ Sylvii (f) teſtimonia. *Galliæ Bel-*

(a) *Apud Ducheſni. Tom. 1. in princip.*
(b) *Brunon. Lib. 1. fol. 35.*
(c) *Althamer. in notis ad C. Tacit. fol. 6.*
(d) *Beatus Rhenan. lib. 1. cap. 7.*
(e) *Claud. Robert. fol. 68. 88.* (f) *Æneas Sylvius fol. 37.*

Belgica a Sequana ad Rhenum ſubdividitur in quatuor Provincias. Prima habet Metropolim Auguſtam Trevirorum TREVIRI. Secunda habet Metropolim Derocortorum Remorum REMS. Tertia, quæ etiam GERMANIA PRIMA eſt, Metropolim habet Mogontiam. Quarta, quæ etiam GERMANIA SECVNDA, Metropolim habet Coloniam Agripinam. TREVIRI Galliæ Belgicæ caput, dignitate Electoratus illuſtrior, cæteris Germaniæ Eccleſiis præcellere videtur. Beda *Lib.* 1. *cap.* 21. *ait Severum ordinatum Epiſcopum Trevirorum, gentis Germaniæ Primæ.* Salvianus *lib. de Provid.. Treviros Gallorum Vrbem opulentiſſimam prædicat. Moguntia Civitas Germaniæ Minoris, quæ ad Gallias pertinet. Colonia, Vrbs Electoralis, in ea parte Galliæ, quæ cenſetur Inferioris Germaniæ.*

10 CAROLUS ille cognomento MAGNUS, quid eſt, quod apud Paulum Langium (a) deprædicatur *origine, ſemine, converſatione Germanicus, Francus, Theutonicus?* Quin èt ipſi Regi Galliarum Franciſco (b) dicitur *Germanorum gentilis*; quamquam inculcet Robertus Cænalis (c), *Carolum Gallum eſſe, in profunda Gallia natum, & alitum.* Obſtupeſcit Bodìnus (d), *quod Carolum Magnum natione Gallum in Gallia natum modò Germanum, modò Alemanum vocant.* Sed amphibolon ſtatim enodatur; natum enim Carolum ſcimus in oppido Ingelheim Galliæ Belgicæ cis Rhenum; quod oppidum proculdubio ſitum in Germania ſpectat ad Palatinum Superum; eaquepropter Carolum eundem pleriſque Gallum vocitare libuit, pleriſque etiam Germanum, utpote ex Germanis ortum Gallobelgarum genere præcontentis. Solutum hinc quoque noſtræ, explicatumque habes Liturgiæ nodum; eſt enim planè ſimillimus.

11 Cape jamverò omnium geographorum ſynopſim ex Ferrarii Lexico in verb. *GERMANIA Inferior pars eſt Galliæ Belgicæ, & a Magna Rheno dividitur; in qua HELVETIA, Alſatia, ac Palatinatus continetur. GERMANIA Superior èt ipſa*

(a) *Paulus Langius Chron. Citicen. ann.* 911. *fol.* 757.
(b) *In apología ſua apud Freberum Tom.* 3. *fol.* 349.
(c) *Robert. Cænalis Lib. de re Gallica.*
(d) *Bodin. Meth. Hiſtor. cap. viii. pag.* 401.

ipſa Gallia Belgica portio eſt, juxta Rhenum. ALEMANI Germania Populi ſunt Gallia Belgica. GERMANIA pars Gallia Belgica, ubi eſt Alſatia, Briſcovia, & Palatinatus Inferior; nunc autem HELVETIA, qua erat in Gallia Lugdunenſi. GALLIA Belgica in plures dividitur, Picardiam, Belgiam, Auſtraſiam, Campaniam, Burgundiam, GERMANIAM SVPERIOREM, in qua HELVETIA, Alſatia, & Palatinatus, & GERMANIAM INFERIOREM, in qua Trevirenſes, Colonienſes, Julienſes, Clivenſes. BELGICA Gallia terminatur ab Oriente Rheno, a Septentrione partim Rheno, partim Oceano Germanico: in plures dividitur Provincias, Picardiam, Campaniam, ex parte Lotharingiam, Alſatiam, Germaniam cis Rhenum, & partem auſtralem Belgii.

12 Progrediamur hinc paſſu ad leges Chronologiæ exactiùs compoſito, acceſſuri propiùs ad illam diem, qua fatum Ambroſii, ac triſte editum in Gallos omen eſt. Ugo (a) a Sancta Maria Floricacenſis Monachus ad annum 1109., Robertus item Monachus Antiſſiodorenſis ad annum 1210., Gervaſii Codex, Ottoni Quarto Imperatori ſacer, partitionem Galliæ, quæ tum erat in uſu accuratiſſimè exequuntur. *Secundum modernos, Gallia univerſa in ſeptendecim Provincias eſt diſpartita: ha autem ſunt Senonenſis, Belgia Prima, ubi eſt Treveris, Belgia Secunda, ubi eſt Rems, Lugdunenſis, Viennenſis, maxima Sequanorum, ubi eſt Veſuntia, Alpes Graja, ubi eſt Darantaſia, Arelatenſis, Narbonenſis, Alpes Maritima, ubi eſt Eboredunum, Aquenſis, Novempopulana, ubi eſt Auſcia, Mogontia, Colonienſis.*

13 Belgicæ verò ſingulas partes recenſet Wido (b) Lutevenſis Epiſcopus, qui ſcribebat anno 1320. Parabiacenſi Victoriæ proximo. *In Gallia Belgica ſunt iſta Provincia quatuor Lugdunenſis, Senonenſis, Neuſtria, Armorica. In eadem quoque Gallia Belgica ſunt alia dua Provincia, Trevirenſis, & Rhemenſis: item ſunt alia dua in Germania, quarum altera inferior Moguntia, ſuperior altera Colonia nominatur.* Sed pigeat,

V

(a) *Apud Ducheſnium Tom. 1. fol. 17. 8. 9.*
(b) *VVido apud Ducheſn. Tom. 1. fol. 17.*

geat, tædam inferre in medium ſolem. Mitto, ſupervacanea ſunt enim, verba Volaterrani lib. 3. *Gallos omnes, & Germanos uno vocabulo Gallos appellant; nam & Germaniam vocant Galliam Comatam, & Ruffus Galliam dividit in duas Germanias.*

14 En quanta Gallicanæ amplitudo gentis? En ratio, en cauſſa, cur Ambroſianus myſta eos hoſtes ex Inſubribus, Cænomanis, Rhetis, Helvetiis egreſſos, aut melius expulſos, unâ ſimul omnes duxerit Gallorum ſignificatione complexandos? Tantam capere nomenclaturam quum aut commodè poſſet una brevis Cantio, vel Epigrapha, utendum ſummi generis vocabulo fuit, relictâ hiſtoriographis curâ admonendæ poſteritatis, quænam Gallicanæ ſtirpis propagines eæ fuerint.

15 Neque ſuo muneri Scriptores defuere: nam quotquot ejus Parabiacenſis adoreæ quicquam meminerunt, intento quaſi digito demonſtrant ſingulas regiones, unde ea mortalium peſtis huc confluxerit. At neſcio, quo fato: Scriptores ii potiſſimùm, qui tam dilucidè rem explicant, tuti nimiùm, ac retruſi delituere ad hanc diem in zotheculis, ac conditoriis, ut nihil mirer, ſi auctoritate Miſſalium, & Geographiæ ſuæ imperitiâ capti vulgares homines falsò crediderint hactenus id, quod in proloquium abiit, Lilium Francicum radices in maligno Italiæ ſolo agere haudquaquam poſſe; malas utique aves Gallis in Italiam præire, nulla interim habita ratione, quod per idem efferri nomen æquè poſſint Græci, Itali, Helvetii, aliique innumerabiles, præter illos Gallorum omnium, qui Gallo-græciam, qui Italo-galliam, qui Gallo-germaniam latè colunt, protoparentes, ac quondam rerum Dominos.

16 Evocandis, quod fauſtum apprecor, in lucem ſcriptis hujuſmodi, impendit egregiam operam Cl. Muratorius, & cum ſuopte ingenio, tum ope, & auſpicio TERMAXIMI CÆSARIS AUGUSTI, quem Italicæ Hiſtoriæ Conditorem, ac Vindicem jure ſuſpiciat poſteritas omnis, pergit in tutum recipere, ac penè ab interitu vindicare optimos quoſque Rerum Italienſium Scriptores cum tinea extremùm, ac teredine luctan-

luctantes. Aſt nondum ſatis proviſum errori hominum videbatur tam inveterato, latèque diffuſo. Quotus enim quiſque paratam domi habeat ſumptuoſiſſimam Muratorii ſyllogem jam propè ad triginta excreſcentem magna volumina? Operis ipſa magnitudo negotium facit; quum pleriſque deſit parandi facultas: pleriſque etiam legendi otium, aut mens. Pretium itaque opellæ huic fecerim, ſi quæ ſparſim, fusèque, ac ſine ulla ad hanc rem animadverſione, prodita ſunt, ea ad illuſtrandam Ambroſianæ Apparitionis hiſtoriam in compendium conferam. Profectò neminem fallit, quanti noſtra Mediolanenſium oporteat intereſſe, inuſtam Gallis abſtergere Protoparentibus noſtris tantam labem. Quis enim haud gravatim ferat id, quod egomet ab ungue tenero audiebam ſæpè, pios præſertim, & ingenuos homines hoc ita credere, palamque dictitare, Gallos in obſequium Sancti Ambroſii, cane pejus, & angue averſandos eſſe? Cui haud cor peracescat videnti perſæpè matres, ac materteras, ſæculo præſertim proximè acto, vana terrificatione cunas quatere, & injectâ Gallicani larvâ nominis percellere pueriles animos? Tradebatur enim quaſi per manus atrox fabula, & filii a parentibus ebibunt odia truculenta, dum audiunt olim conſueviſſe Gallos anniverſario maledicto damnari ex ara, explodique velut Italiæ peſtem. Horror etiam ſacer inceſſit nos, dum paſſim in imagine occurrit Mellifluus Parens, minimè ùt antea ſpirans dulciſſimos amores, ſed ea torvitate ſupercilii, quâ vel pios, ac ſupplices terret, dum Gallis minatur.

17 Macte igitur virtute eſto. Fugandis hiſce, ùt dixi, lemuribus, atque umbris erigamus hiſtoriæ facem. Hoc mihi ad probandum ſumo: Gallos quotquot vulnerat Ambroſiana imprecatio, ex Rhetorum fluxiſſe, & Helvetiorum tremendis alpibus, immixtâ Gallorum Italienſium ſentinâ, quos egeſtas fœda, deſperatioque rerum omnium armaverat in excidium Patriæ. Statim hæc calamis omnium, qui geſtis rebus adfuerunt, in propatulo ponam. Minimè tamen adferam verbatim ſingulos, ne moroſior ſim, toties Hiſtoriam repetens

eandem, prout apud Scriptores viginti plures repetitur ad ſatietatem, & ad ſtomachum. Seligam tantummodo ſenſus, ac verba, quæ ſunt ad rem: ſi qua ſatis ex contextu liquent, miſſa faciam.

18 Quæ quum perfecero, dabo etiam operam, ut Rhetos quoque, & Helvetios tanto exonerem crimine. Nota eorum fides, nota conſtantia. Nullum SVITENSI genus hominum certius ad excubandum Templis, Prætoriis, Tabernaculis Principum. Nulli fidentius concreditur Regum latus, ac Maximorum vita Pontificum. Detur hæc ipſis venia, quod aliquando nimiùm indulxerint ſtudio libertatis. Id fermè accidit Quartodecimo Seculo ineunte, quum treſdecim capita Populorum Germanico ſeſe Imperio ſubduxere. Magis exinde atque magis pruriente novitatis urticâ, a ſervitute ad libertatem, hinc ad Regnum Italiæ aſſurgentibus animis, pertæſi patrias alpes (noris enim Helvetiam pluribi informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu, aſpectuque, vix cui patria ſit, appetendam) ex edita montium ſpecula, hanc conſpicantes beatiſſimam planitiem, occaſione inteſtini Inſubrum diſſidii, huc demigravere plures in ſpeciem ferendæ opis, animo veriùs extinguendæ Urbis noſtræ, quod primum Italiæ propugnaculum foret. Sed jam deſponsâ Hiſtoricorum expoſitione defungor ſtatim.

CAP.

CAP. VI.

Series Chronologica

Scriptorum enarrantium pugnam, ac Flagellum S. Amboſii, contra Italo-gallos, ac Gallo-teutones.

ANNALES MEDIOLANENSES.

1 Sit Anonymo Faſtorum Mediolanenſium Auctori hæc ſumma laus, ut Franciam ipſe primus ab commentitio vindicet maledicto. Jacuit is ad quadringentos ferè annos, in tabulario Novarienſis Eccleſiæ. Ecqua par gratia Equiti tum genere, tum eruditione maximè illuſtri DON DONATO DE LA SILVA, Comiti Blandratenſi &c., cujus odoram vim haud effugit pulverulentus Codex? Eductus inde, ac Cl. Muratorio delatus, locum obtinuit Tomo XVI. Italicæ Hiſtoriæ. Cognomen iis Chronicis vulgare, ac proletarium *el Valiſone della Storia di Milano*; ubi plurium videlicet Scriptorum exuviæ acervatim congeſtæ habentur.

Excerpta ex Annalibus Mediol. Tom. XVI. Rerum Italicarum fol. 713.

2 *SEdente Benedicto XII., vacante Imperio, ſub dominio AZONIS VICECOMITIS, D. Lodriſius, qui erat bannitus a Civitate Mediol., & contra Azonem machinabatur, in animum indu-*

induxit, improvisè Civitatem invadere. Quod ſentiens Dominus AZO, Pinalam de Aliprandis cum maxima multitudine militum, ac peditum miſit ad paſſus Abduæ, pro obviando prædicto Lodriſio, qui cum Militibus Abduam tranſierat; & ipſo die applicuerat ad locum de Ciſuſculo Aſinario. Altero die ivit ad locum de Sexto ſupra Lambrum. Tertia die Lignanum, & Parabiagum, & ibi convocavit de Comitatu Mediolani amicos ſuos, & cogitavit maximâ potentiâ Mediolanum intrare.

Prudentiſſimus Azo Affines, & Amicos, videlicet de Ferraria, & Sabaudia convocat. Mittit Nervianum, Luchinum Vicecomitem Capitaneum Generalem contra prædictum Lodriſium, qui habebat maximam multitudinem TEUTONICORUM indiſcretorum, & qui caſſi erant ſtipendio Dominorum Italiæ. Ipſorum Capitaneus erat quidem Teutonicus nomine Malerba, & omnes uſque ad unum erant ALEMANI (hos infrà oſtendam fuiſſe Alemano-helveticos) *qui ſteterant in guerra Domini Maſtini de la Scala, contra Venetos. Dum hæc aguntur, regnat ingens frigus, & nix grandis uſque ad corrigiam magni hominis.*

Die Dominico xxi. Februarii, Teutonici iverant ad prælium. Luchinus verò cum Nobili viro Johanne de Fliſco, inſiliverunt in inimicos, viriliter dimicando. Tandem durante prælio, captus fuit Luchinus Vicecomes Capitaneus. Trecenti, qui venerant de Sabaudia in ſuccurſum Domini Mediolani, eâdem horâ ſe jungentes, impetum fecerunt contra Alemanos, & Nobilem Luchinum abduxerunt. Durante prælio, viſus fuit in aere S. Ambroſius noſter Patronus, Alemanos ſcuticâ percutere, Mediolanenſibus auxilium ferens. In memoriam tantæ victoriæ, Luchinus dando gloriam Altiſſimo, ordinavit feſtum annuatim celebrandum ad honorem S. Ambroſii, & in illo loco, ubi fuit rupta, conſtrui fecit Eccleſiam in honorem S. AMBROSII DE VICTORIA: & omnis Populus laudavit Omnipotentem Deum Hymnis, & Orationibus, qui dedit eis Azonem Principem Deo, & hominibus gratum.

PE-

PETRUS AZARIUS Novarienſis.

3 AUctorne, an plagiarius? Præallato ita ſimilis, ut neſcias, uter ſit ab altero mutuatus. *Valiſoni* cognomento propior eſt fides, Azarii ſpolia migraſſe in bulgam Anonymi. Quanti cæteroquì facienda auctoritas Azariana ſit, didici ex eruditiſſimo Muratorio Tom. XVI. Rer. Ital. fol. 393. *Hinc ad hiſtoriam ab eo Azario ſcriptam, plurimum commendationis accedit, quod non ſolùm res ſui temporis, ſed quibus nonnunquam interfuerat, litteris madavit.* Pondus adfert ad integritatem viri æſtimandam, publicum Notarii munus, quo ſua fungebatur Novariæ in Patria. Sed quæ *Azarius* ſtylo exaggerat laxiore, compingam ego in ſynopſim, brevitati conſulens.

Excerpta ex Chronicis Petri Azarii Tom. XVI. Rer. Ital. fol. 315.

4 *AZO Vicecomes, filius Magnifici Galeazii, poſt mortem Patris, cœpit Dominium Mediolani. Quanquam juvenis, ſenex fuit in bonitate, & virtute. Lætus facie, crinibus candidus, gracilis corpore, ſed pinguedine intermixtus, affabilis, tractabilis, benignus: podagram habuit a juventute: de dominio Dominorum Sabaudiæ, uxorem habuit Catharinam (cujus prudentia, & ſancta devotio, per totam redolet Lombardiam* (a) *) juſtitiam animosè exercebat. De menſe Januario, D. Lodrixius volens Statum D. Azonis perturbare, venit in diſtrictum Mediolani, & juxta Lignianum direxit greſſus ſuos, exiſtente nive uſque ad umbiculum magni hominis. Erat autem Capitaneus illius gentis Malerba TEUTONICUS, & omnes uſque ad unum ALEMANI. Lodrixius curavit habere D. Calcinum Torniellum jam expulſum a Civitate Novariæ, qui multorum carâ amicitiâ cum ipſo Lodrixio tenebatur; nec cum ipſo Lodrixio erat aliquis*

(a) *Verba ſunt Galvanei Fiamæ Tom. XII. Rer. Ital. fol.* 1005.

quis nobilis Lombardus, præter Vincentinum Suardum. Azo autem recuperato in brevi ſubſidio, D. Luchinum Vicecomitem ſtabilivit guerræ Capitaneum. Scientes itaque Teutonici D. Luchinum die ſequenti, Mediolano exire pro pugnando, cogitaverunt exercitum peditum diſrumpere. Igitur noctis tempore, dictus Malerba terram Parabiagi invaſit: quotquot inveniebat, trucidabat, membra mutilando, duravitque ſtrages miſerorum uſque Raude (nono ab Urbe lapide) *Et ſic viâ rectâ verſus Mediolanum procedendo, obviaverunt Domino, qui de Mediolano exibat ad ſtrepitum tantæ cladis, & aciem ſuam nondum ordinatam invaſerunt: D. Johannem de Fliſco vires ſuos exercere volentem occiderunt: D. Luchinum perſonaliter expugnantes cœperunt, & ſuper campum ad unam nucem, ſine barbuta dimiſerunt.* (Reliqua ſupple ex ſequentibus)

CHRONICA MODOETIENSIA.

5 MOdoetiæ ſtans in muris *Bonincontrus Morigia*, fragorem hauſiſſet Parabiagenſis prælii; ſi tum nitrius pulvis, & ærea belli tormenta ignivoma fuiſſent in uſu: quæ quidem negant *Franciſcus Petrarca*, ac *Philippus Comines* audiri in Italia cœpiſſe ante annum 1370. Sed quid, inquam, hauſiſſet auribus? Vidiſſe quinimò ſe profitetur idem Morigia in Prologo.

Qui legis, o Lector, quæ ſcripſi omnia vera
Sunt, & ab his nunquam eſt detrahenda fides.
Quæ vidi, nam ſcripſi, cunctaque vera notavi.

Verſificatorem hunc hiſtoricæ veritatis multò, quàm metrici moduli accurantiorem, inſigni loco donavit, inter Italiæ Scriptores Tom. XII., Ludovicus Muratorius, hac adjecta epigraphe. *Bonincontrus Morigia, quæcunque poſt annum* 1300. *geſta enarrat, ſub oculis ſuis, & ætate ſua contigiſſe prodit. Etſi delicatulos Lectores rudis ejus lectio offendere poſſit; nihilotamen ſecius eo candore, ac diligentiâ, acta depingit &c.*

Ex-

Excepta ex Bonincontro Morigia Tom. XII. Rer. Italic. fol. 1163.

6 *AZO dilatavit gloriam Populo ſuo, & induit ſe armis juſtitiæ: lætificavit ſubditos in operibus ſuis; & in ſeculum erit memoria ejus in benedictione. Ex ſua manſuetudine, gratia, & amore, pluſquam gladio, novem Civitates Lombardiæ obtinuit, eo quia non ut Tyrannus, ſed ut Princeps bonis operibus, & virtutibus inſtructus, aſſentiens Divinæ Ordinationi, non ex libidine principandi, ſed aſſentiens Deo, & Eccleſiæ, Principatum voluit aſſumere cum timore, & tremore, & cum cordis humilitate, & cum recta intentione ad Dei honorem, & Populi commoditatem, mala cohibendo, & bona jubendo; quare meruit in ſuo Principatu proſperare. Erat autem communis ſtaturæ, grandis, rubicundus, quaſi ſicut aurum, lucebant crines capitis, placibilis aſpectu, cunctis gratioſus.*

De rupta Parabiagi fol. 1174.

AZO Vicecomes Mediolani Princeps convocavit de Ferraria, Janua, & Sabaudia amicos ſuos, cum multitudine Militum, ac peditum, qui exiverunt extra Civitatem Mediolani, & iverunt Nervianum, qui longè a Parabiago per unum miliare abeſt, pro obviando Lodriſio, & aliis, qui cum eo erant TEUTONICIS hominibus indiſcretis tanquam lupis rapacibus, qui ſimul ſe junxerant causâ ſpoliationis, & deſtructionis bona Patriæ Mediolanenſium. Tunc frigus erat magnum, & nix grandis. Die Dominico xxi. Februarii, quaſi inordinatè iverunt ad prælium. Luchinus verò magnanimus Vir, auxilium Dei, & Sanctorum ejus Johannis Baptiſtæ, & Ambroſii expectans, inſilivit in eos viriliter dimicando. Tandem durante prælio, ab illis maledictis Luchinus captus in parte trahitur, & detinetur, ſuis adhuc in campo præliantibus. Nec fecerunt moram, qui venerant de Sabaudia tercentum milites, & eâdem horâ ſe jungentes occurrerunt, & Nobilem Luchinum a manibus tenentium abduxerunt. Qui cum auxilio eorum ad campum ſe miſit, & præ-

& prædictos maledictos conterruit, cæpit, interfecit durante prælio a mane uſque ad Veſperas Lodriſius pœnitentiâ ductus eò quòd dictos TEUTONICOS ibi duxerat, captus fuit cum duobus filiis, & incarceratur. Reliqui cum eſſent digni morte, propter miſericordiam Azonis fuerunt dimiſſi. Et dicitur viſum fuiſſe in aere Beatum Ambroſium Protectorem Mediolanenſium, maximum auxilium ferentem, & victoriam. De qua die victoriæ, Nobilis miles Luchinus, dando gloriam Altiſſimo Deo, ad perpetuam rei memoriam, feſtum ordinavit annuatim celebrandum, ad honorem Dei, & Sancti Ambroſii. Et in campo ubi fuit rupta, fieri fecit Eccleſiam ad honorem Dei, & Sancti Ambroſii; quæ facta eſt, & appellatur feſtum S. Ambroſii de Victoria. Unde potuit dici de Luchino, contra prædictos maledictos: in manu ejus, a Deo data eſt ſalus magna, illa die, cunctis Lombardis; & laudavit omnis Populus Omnipotentem Deum in Hymnis, & Orationibus, qui dederat ei Azonem Principem, Deo, & hominibus humilem, miſericordem, & juſtum; qui habuerat per ſuam gratiam, contra inimicos in terra, & in Cœlo velox auxilium.

CORTUSIUS PATAVINUS.

7 MEminiſtine, me paulò ante dicere, hoſtilem in nos equitatum *Canis*, ſeu *Maſtini Scalæ*, Veronenſium Tyranni deſcendiſſe ex Cœnomanis, quâ Brixiam verſus, Gallia hæc noſtra erigitur in Tridentinas Alpes? Auctores mihi præ cæteris præſto ſunt CORTUSII duo, Gulielmus, & Albrighettus, Patavini ambo. Quis ille Canis, ac quantopere Sanctambroſinâ dignus ſcuticâ, palam fit ex litteris Benedicti PP. XI., ſeu XII., Maſtinum eundem infandi parricidii, quòd Veronenſem Epiſcopum, ſua obtruncaſſet manu, redarguentis. Illi verò Theutonici equites, quonam pacto deſciſſent ad ipſum Canem, propalam faciunt Chronica inſita Tom. XVI. Rer. Ital. fol. 711. Moverat Actius Mediolano ſigna, ut graſſantem in Cœnomanis Scalam compeſceret,

ſceret, ac Veronæ exueret mœnibus; *ſed proditores Teutonici, qui propter pecuniam, omnem proditionem faciunt, de noſtro exercitu exeuntes, iverunt Veronam, ex quo noſter exercitus Mantuam rediit.*

8 Quæ fæx illa hominum foret, quos Scaliger ad ſua ſigna conduxerat, me certiorem facit Sanctus Antoninus Florentiæ Antiſtes ad annum cir. 1339.(a) *In Gallia* nempe Ciſalpina, *cuncta repentè turbavit Germanorum ſeditio. Maſtinus virtutem Ruffi timens, obtinuit grandi mercede a Germanis equitibus, qui ſub Ruffo militabant, ut interfecto Duce, ad ſe tranſirent. Sed dum maturantur inſidiæ, res patefacta eſt: hujus facinoris conſcii mille Germani, facto repentè globo ad hoſtem transfugére. Sed cæteri Galliæ* Ciſalpinæ *Principes, ruinam Maſtini ſperantes, in ſocietatem coiverunt &c. Mediolanenſium, Ferrarienſium, Mantuanorum &c., ſumma penes Luchinum Vicecomitem habebatur.* Addit Flavius Blondus Dec. II. Lib. X. ſub eundem fermè annum, „ Urbes quatuor in Romanæ Eccleſiæ reverentia conſervatas eſſe, præſidio Johannis Boemiæ Regis, Parmam videlicet, Regium, Mutinam, „ Lucamque. Germanos Boemo militantes, mercedis magnitudine corruptos tentaſſe diſceſſionem: mox ad inſtaurandam cum ipſo Rege gratiam, Scaligerum ab ſe interfectum „ iri pollicitos eſſe: his intellectis, Boemum dono dediſſe „ Lucenſem Urbem Philippo Francorum Regi, qui per Legatos in Italiam intimavit, ne quis Lucenſes in tutelam ſibi „ deditos offenderet. Maſtinum nihilominus Scalam arripuiſſe Lucæ dominium, tam ſecundo eventu rerum, ut nullus eo, poſt Ecelinum, in Italia potentior Tyrannus extiterit „ hæc ſummatim ex Blondo.

9 Et primum viden'? Franciæ ſimul erat, Eccleſiæque addictiſſimus ille Boemiæ, idemque Poloniæ Rex, ac Lucemburgenſis Comes; neque Lucam ſolummodo Urbem tradidit Regi Gallo, ſed ejus Primogenito filiam ſuam, ejuſdemque ſororem cum primogenito copulaverat ſuo: hæc Galvaneus *Tom. XII. Rer. Ital. fol.* 1003.; confeſtim ſubdens:

(a) *S. Antonin. Part. 3. Motus Ital. tit. XXI. Cap. VII.*

die octavo Februarii , in Palatio Communitatis noſtræ factus eſt Dominus Civitatis Mediolani Johannes Rex Boemiæ , qui inſtituit ſuum Vicarium Generalem in Mediolano Azum Vicecomitem : ipſe verò in Franciam rediit . Valde hæc conducunt ad intelligendam , quæ per idem tempus Boemis Francos , & utroſque Mediolanenſibus innecteret , gratam neceſſitudinem. Recognoſce verò etiam , quàm perditi , ad omne facinus audendum parati eſſent Maſtiniani illi Equites , Ambroſii telo ineluctabili ad inferos detruſi . Vide per eoſdem annos Scaligerum æquè hoſtem Francorum fuiſſe , quibus Lucenſem Urbem ademerat , ac Mediolanenſium . Adde ex Chronicis Veronenſibus auctore *Pariſio de Cereta* Tom. viii. Rer. Ital. fol. 651. *Anno* 1338. 5. *Octobris , Dominus Azo Vicecomes cum exercitu intravit Civitatem Brixiæ , & eam obtinuit &c. Rectores Brixiæ cum gente Domini Maſtini Scalæ fugerunt Veronam , octavo Octobris .* Eccui ſuadeas Francos , quo ipſo tempore graviſſimas in Scaligerum inimicitias exercebant , ſocialia cum ipſo adverſus nos tractaſſe arma ?

10 Quæ verò ſit Cortuſiorum auctoritas , quorum jam textum repono , metire verbis Oroſii in Præfatione ad eorundem Hiſtoriam . *Cortuſios duos , Gulielmum , & Albrighetum &c. uterque Scriptor , ea quæ vidit , imo èt pleraque , quorum pars magna fuit , literis conſignatum iit .*

Excerpta ex Chronicis Cortuſiorum Tom. XII. Rer. Ital. fol. 899.

11 *Dominus Maſtinus de la Scala tentavit mittere Mediolanum ; & fuerunt duo millia galeati : peditum verò maxima comitiva . Mareſchalcus eorum erat D. Raymondus de Giver . Caporalis verò , & Ductor D. Lodriſius expulſus Mediolano : eorum exercitus appellabatur ſocietas SANCTI GEORGII . Proh dolor ! ſanctum nomen a prædonibus , raptoribus , adulteris , & furibus hodie uſurpatur . Die XV. Februarii , Societas tranſivit flumen Aduæ , quo die acceſſerunt ad Villam . Luchinus Vicecomes Capitaneus Generalis ivit Legnanum terram magnam ,otius Seprii . Ibi ſtans Lodriſius barbam depoſuit , quam diu tule-*

tulerat. Exercitus Mediolani dividitur. Dominus Raynaldus de Lonrich Mareſcalchus Mediol. cum octingentis militibus, ac peditibus duobus millibus equitavit Parabiagum. Dominus Luchinus cum reliqua militia videlicet equitibus duobus millibus, & peditibus ſine numero, equitavit Nervianum. Die Dominico XXI. Februarii, Lodriſius cum THEUTONICIS inſultavit in illos, qui erant in Parabiago. Tunc capitur Mareſcalchus Mediolani, & filius D. Vercellini Vicecomitis, qui cum ſexcentis barbutis optimè pugnaverunt. Luchinus ſentiens hæc, ſubito ſe traxit ad campum. Pugnatum eſt ab hora ſexta uſque ad veſperas. In hoc prælio D. Luchinus fit captivus: Johannes de Fliſco fuit occiſus. Mareſcalchus Societatis cum ſuis THEUTONICIS fuit captus ad fidem. Ultimò Mediolani gens obtinuit victoriam.

CHRONICA ESTENSIA.

12 MUTINÆ præclaræ Urbis Chronica, ſive Eſtenſium Annales attingam calamo fugiente; ſunt enim ejuſdem fermè exempli: cætera quum libitum fuerit, pete ex Tomo XV. Rer. Ital. fol. 403. *Anno 1339., eodem menſe Februarii, maximum fuit prælium Mediolani, in loco ubi dicitur Parabiagus. D. Lodriſius habebat maximam copiam THEUTONICORUM: tunc vocabatur Magna Societas &c.*

GALVANEUS de la FLAMA Mediolanenſis.

13 VEnio ad unum in hac parte præſtantiſſimum teſtem, *Galvaneum de la Flama*, Civem Mediolanenſem, San-Dominicani Ordinis, tum in ſuburbio ad phanum Euſtorgii hoſpitantem. Memoranda de hoc Scriptore, Ludovici Muratorii ſententia Tom. XII. Rer. Ital. fol. 993. *Commentarius Fratris Galvanei de la Flama de rebus geſtis Azonis Vicecomitis: opuſculum profectò magni faciendum, utpote complectens*

per

per aliquot annos, Mediolanenſium Hiſtoriam ab oculato Scriptore litteris ita traditam, ut illic habeas tum egregii Principis, tum inſignis Urbis, etſi non elegantem, delectabilem tamen picturam. Fuſam, ut in re ſibi perſpectâ oculis, narratiunculam exhibet nobis Flama, ſtylo utroque ludens metrico, & ſoluto in ſignum animi, ex inſperata victoria geſtientis. Ego in tam laciniosâ verborum texturâ, utar ſyncope. Cætera ſi erit opus, ſuggeret Tom. XII. Rer. Ital. fol. 1022.

Excerpta ex Galvaneo Flama

Titul. De Conflictu terribili habito juxta Parabiagum.

ANno 1339. *Johanne Vicecomite Epiſcopo Novarienſi gubernante Eccleſiam Mediolanenſem, iſto anno fuit frigus tantum: & præcedente æſtate, ſtella comata ab aquilone ſurgere, & verſus Mediolanum radios vibrare viſa eſt: ignes terribiles ſub diverſis figuris per aera diſcurſare &c. Nobilis Miles Lodriſius Civis Mediol. proſcriptus, de aquilonari plaga, ubi Marca Triviſiana, ſurgens contra Azum Vicecomitem ſuas direxit acies. Hic ſe caput Societatis S. Georgii in ſuis litteris intitulavit. Ipſe primò terras Brixienſium concuſſit terribiliter, & tranſvadato fluvio Lolio, exinde ad fluvium Adduam pervenit, die Martis ix. Februarii, & erat carnis privium Romanum, & pervenit ad terram de Sexto. Hi cuncta deſtruxerant, omnia corruperant, terras igne, ferroque conſumpſerant. Ex his terror in Urbe factus eſt permaximus, & fuga erubeſcibilis nimis, cunctis habitantibus Suburbiorum ad mœnia Civitatis ſe transferentibus; & quia Molendina erant deſtructa, intra tres dies facta eſt in Civitate careſtía, non dico grani, ſed farinæ, quòd modius mixturæ venderetur decem libras.*

In Civitate omnes ad defenſionem ſe præparaverunt: Juvenes nobiles ſpontè ad proprias expenſas, totidem dextrarios magnos expoſuerunt phaleris nobilibus coopertos. Ipſi quoque a planta pedis uſque ad verticem, ſubmicantibus armis corruſcantes, pro honore, & Statu Domini ſui, pericula ſubire parati fuerunt; propter quod ipſe Azo, ſe eſſe Dominum non ſolùm corporum,

ſed animorum, ineffabili ſigno amoris comprobavit. Inter tot hominum perſtrepentium crepitudines, AZO arma clamitans, conſanguineos, & propinquos ſuos invitavit ſcilicet Marchionem de Eſte, & Thomam Marchionem Salutiarum, qui erat ejus Sororius, & Ludovicum Sabaudiæ Socerum ſuum, & Comitem Sabaudiæ, & Jacobum Pedemontis. Numerus noſtrorum militum quatuor millia fuerunt: peditum quatuordecim millia: baliſtrarii duo millia. Lodriſius vir aſtutus, quadam Dominica, quæ erat ſecunda Quadrageſimæ, die xxi. Februarii, de Legnano egreſſus, nivibus deſcendentibus de Cœlo, ante diem in Parabiago, percuſſit in lectis dormientes. Tunc Mareſcalchus exercitus noſtri arma clamitans contra Lodriſium duriſſimè dimicavit; & factum eſt prælium forte nimìs ab hora diei uſque ad ſextam; & interfecti ſunt ferè duo millia. Luchinus autem Princeps exercitus noſtri ad campum ſe contulit inter Parabiagum, & Canagrate. Ut miles diſtingueretur a milite, noſtri clamabant: Miles S. AMBROSII: *alii* (nempe hoſtes clamabant) *RITBHAND HENRICH. Commiſsâ pugnâ, prævaluerunt hoſtes, & facta eſt ſtrages magna in utroque exercitu, & auditus eſt fragor armorum, & crepitus lancearum per multa miliaria, quaſi in ipſorum auribus factus fuiſſet.*

Luchinus vibratis gladiis in hoſtes irrupit, vulnera pertulit, equi plures ſub ipſo interfecti ſunt. Retroactis temporibus in plano Lombardiæ, fortè non fuit pugna campeſtris tam crudelis: omnes etiam victores ſunt vulnerati, aut membris mutilati, aut oculis, aut naſo privati. Tandiu dimicatum eſt, donec vires deficerent; & qui non poterant ulteriùs pugnare, nutibus, & vocibus ſtridentibus, mutuò ſe invicem ad bellum provocabant. Iterum renovatur pugna: corruunt innumerabiles: campi cadaveribus referti. Tunc Luchinus Princeps exercitus captus eſt, & tandem deficientibus viribus iterum pauliſper reſpirarunt. Et poſt pauca iteratò pugnatur, & finis belli factus eſt circa veſperas.

Titul.

Titul. De Miraculo B. Ambroſii, quomodo Civitatem liberavit:

POſtquam Lodriſius Olonam tranſivit, & Legnanum pervenit, THEUTONICI obedire ipſi contempſerunt, & determinaverunt inter ſe, ſi Civitatem obtinere potuiſſent, interfectis civibus de Mediolano, ruſticos pro agricultura ſervare, & Theutonicos innumerabiles ex Alemania convocare, & Lombardiam jugo Theutonicorum ſupponere, & Civitatem Mediolanenſem in Coloniam redigere. Sed Deus tantorum malorum refranator miſit B. AMBROSIUM, qui in albis cum ſcutica in manu viſibiliter hoſtes percuſſit victoriâ potitos, ex quo perdiderunt vires, & ſuperati ſunt. Ex quo facta eſt in Civitate Proceſſio ad S. Ambroſium: inſuper juxta Parabiagum in loco conflictus, conſtructa fuit Eccleſia in honorem B. Ambroſii, & primum lapidem poſuit Joannes Vicecomes Novarienſis Epiſcopus.

CAP. VII.

Explicatur in textu Galvanei, dictum illud Teutonicum Rithband Henrich; *ſimul èt oſtenditur, per id tempus Francos, Auſtriacos, Mediolanenſes conſpiraſſe contra Ludovicum Imperii, & Eccleſiæ perduellem.*

1 TÆdii fallendi ergo, aliquid hiſce Chronicis interloquar, cordâ ſemper eâdem ad faſtidium recurrentibus. Et primùm vide, quàm pugnantibus ſibi invicem ſtudiis, & quàm contrariis itineribus illi huc advenerint primores Galli, qui Mediolanum condiderunt, atque hi, qui conditum everſuri poſtmodum acceſſere? Illi enim, inquit T. Livius Dec. 1. Lib. 5. cap. 19. *Taurino ſaltu invias alpes tranſcenderunt, fuſiſque acie Tuſcis, aut procul Ticino amne, quum in quo conſediſſent, agrum Inſubrum appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum, id omen ſequentes loci, condidere Urbem, Mediolanum appellarunt.* Secus hi recentiores Galli, quos anno 1339. in nos orientalis effudit plaga, ubi Marca Triviſana, Rheticæque aſſurgunt alpes, præpoſtera huc meditamenta attulére. Nam illi quondam parentes noſtri, Mediolanum, ut infit *Strabo*, ex agreſti pago, & incondita hominum multitudine effecére Urbem: hiſce ex adverſo mens erat, Urbem extinguere, iis ſolummodo relictis, qui victori arva colerent. Repete ex Flama. *Determinaverunt inter ſe, ſi Civitatem obtinere potuiſſent, interfectis civibus de Mediolano, ruſticos pro agricultura ſervare, & Civitatem in coloniam redigere.*

2 Paulò retruſior eſt quæſtio altera, quid ſibi velit iſta

vox *Rithband Henrich*, Teutonico, ut vides, fonte detorta. Hæc haud dubiè compoſita locutio *Rith* equeſtrem, *Band* turmam, *Henrich* Henrici indicat; qua ſe vociferatione adinvicem noſcitabant hoſtes. Nam præterquamquod nives denſo fluentes imbre, penè conſpectum ademerant, adverſabantur arma utrinque ſimillima, & anguifera Vicecomitum ſigna adeo, ut præliantium vix aliud diſcrimen eſſet, præter notæ hujuſce vocis ſonum. *Luchinus*, teſte Flama Tom. XII. Scrip. Ital. fol. 1025. *Princeps totius exercitus ad campum ſe contulit inter Parabiagum, & Canagrate. Cui exadverſo Lodriſius ſe obtulit. Et quia amborum ſigna erant viperea cum aquilis, ut miles diſtingueretur a milite, noſtri clamabant MILES SANCTI AMBROSII*: alii clamabant *RITHBAND HENRICH*.

3 At ego in hoc parùm laboro. Illud captu difficillimum eſt, quid ſecum ipſi intenderent Barbari in eo diſcrimine Henricum implorantes. Quis iſte tandem Henricus? Num ille Regum Germaniæ ſeptimus iſto nomine, qui jam annis quinque ſupra viginti è vivis exceſſerat? Num alius aut Rex, aut Imperator? Videamus, quiſnam eo anno 1339. Franciæ, quiſnam Germaniæ clavo aſſideret. Intererit etiam valde recognoſcere, quæ tum gentes ſocia, aut infeſta Eccleſiæ arma gererent. Scire etiam proderit, quinam per id tempus ſæva odia exercerent contra Azium Mediolani piiſſimum Principem, de quo ibidem Flama fol. 998.: *natus fuit in feſto Sancti Ambroſii, vocatumque eſt nomen Ambroſius, ſive Azo*. Hinc deducta ratio facilè aſſequetur, quænam ea fuerint devota inferis capita, Ambroſiano fruſtuario detrita.

4 Et primùm dic quæſo: cur ii Henrico Theutones acclamarent, dum minimè Henricus imperitabat Germaniæ, ſed Ludovicus, Tyranno quidem ſimilior, quàm Cæſari; de quo Annaliſta Reginenſis (a). *Anno* 1333. *eodem menſe Junio, Alemania facta eſt contraria Romanæ Eccleſiæ, tractatu Ludovici, qui ſe Imperatorem dicebat; & ſtatuit, quod de cætero*

non

(a) *Inſert. Tom. XII. Rer. Ital. fol. 268.*

non confirmaretur Imperator a Papa, ſed fecit unum Papam, ideſt Antipapam, *qui dicebatur Magnus Patriarca*. Rem paucis expediam.

5 Henrico Lucemburgenſi vitâ deſtituto, ſuffectus in Imperio fuerat anno 1314. FRIDERICUS AUSTRIACUS Alberti Imperatoris Auguſta ſoboles; quem Eques Meſſanenſis (a) hoc exornat elogio. *Federicus III. Dux Auſtriæ electus in Regem Alemaniæ, Vir pacificus, & quietus, ac patientiæ ſingularis.* Adverſus hunc, in diſcordia comitiorum, Ludovicus ſe extulerat cognomento Bavarus; quem ad annum uſque 1346., vexantem Auſtriacos, Francos, Italoſque, nequicquam trium Pontificum Johannis XXI., Benedicti XI., Clementis VI. tela Apoſtolica terruerunt. Acta exhibet anathematum Martenes (b), atque Raynaldus ad annum 1339. *num.* 10., ſtrictim colligens Ludovici in Eccleſiam facinora, *irruptionem Italicam: ſuſceptum Hæreticorum patrocinium: promulgatam publico libello hæreſim: creatum pſeudopontificem.* Idem anno ſuperiore, num. 16. *tot*, inquit, *tantaque facinora in Pontificem, & Catholicos perpetravit Ludovicus faſcinatus ab Hæreſiarcis, quos inſtar draconum, alebat in ſinu.* Hæreſiarchæ erant *Michael Caſenas, Ochamus, & Henricus Cheles.* Quidni eos, tum in æſtu dimicationis, Henricum invocantes, ſuſpicer aſſeclas hujus fuiſſe Henrici Chelis, Hæreticorum anteſignani; cujus virulento adverſus Pontificem calamo abutebatur Ludovicus? id quod amarè flens ad eundem ſcripſit Benedictus PP. XI. anno 1339. (c): *Homines peſtilentes, Hæretici, & Schiſmatici, ſub tegmine alarum tuarum morari dicuntur.* Et paulò poſt. *Mandaſti, quod in partibus Alemaniæ, mandata non recipiantur Apoſtolica, nec pareatur eiſdem.* Ex Annalibus verò Novatienſibus apud Martenem Tom. IV. Veterum Scriptorum fol. 586. *Ludovicus Imperator, Johannem filium Regis Boemiæ* (huc confer ſuperiùs dicta de hoc Rege) *Ducatu Carinthiæ ejecit, ejuſque uxorem ſine judicio Eccleſiæ raptam, ſuo filio copulavit, in ſcandalum multorum.*

(a) *Inſert. Tom. XII. fol.* 998. *Rer. Ital.*
(b) Martenes *Anedoct. Tom. II.*
(c) *Raynal. Ann.* 1339. *num.* 2. 3.

rum. Unde tam pro iſto, quam pro multis aliis ſceleribus denuo excommunicatus fuit.

6 Quod longè flebilius, Philippus Galliæ Rex, cognomento VERE' CATHOLICUS, cum vadem Pontifici, ac ſequeſtrem ſe pro Ludovico dediſſet, pactis conventis, ut piaculo criminum, ſuccurreret Chriſtianæ rei, apud Syros extremùm laboranti, vide, quâ tandem gratiâ Ludovicus patrono beneficium rependerit ſuo. Rex Anglorum *Edoardus* imbecillo utut jure fæmineæ ſucceſſionis inſurrexerat in Regnum Galliæ, contra ſancita Legis Salicæ, ne ſceptrum migret ad alienigenas, neve lancea Francorum cadat in colum, ac fuſum; *Lilia* enim Gallica ſemper *creſcunt*, *nec laborant*, *nec nent*. (a) Ergo Ludovicus ſimulata in Orientem expeditione, mox converſo ad Angliæ Regem itinere, icit cum eo fœdus, ſociaque arma ferunt contra Philippum, & contra Papam, apud ipſum in Gallia commorantem: hæc Odoricus ad ann. 1339. num. 1. *Concitavit graviſſimas in Eccleſia turbas Ludovicus; qui cum in Philippum Regem Francorum cum Edoardo Angliæ Rege, exitiale rei Chriſtianæ bellum gerere meditaretur, fallaces dolos inſtruxit.*

7 Doli fuere hujuſmodi. Per litteras gementis in ſpeciem elaboratas, ſpoponderat Papæ, montes ſe propediem, ac maria trajecturum, ut ſuis veniam noxis impetraret; quarum non ultima ea fuerat, quòd Auſtriacum Principem Regno Italiæ, Germaniæque evertiſſet callidis artibus. Recita ex litteris ejuſdem Ludovici, queis omnem impendit doloris imaginem (b). *Nomine ſatisfactionis, pœnæ, ac pœnitentiæ per nos commiſſorum, effectualiter aſſumemus paſſagium tranſmarinum, prout Veſtræ Sanctitati videbitur expedire.* Uti poſtea fidem exſolverit, attende. Chriſtianis, quorum Imperatorem ſe perperam venditaret, non modò non accurrit ipſe voti reus, ſed ne id faceret, obſtitit Philippo, quem propè ſolventem è littore revocavit vadens jamjam infeſto agmine in viſcera Galliarum.

8 Hoc

(a) *Lucæ 12. Jo. Anglabermærus de Lege Salica.*
(b) *Odoricus Raynal. ann. 1336. num. 36.*

8 Hoc quidem loco nobis eximiè commendandus occurrit Inferioris Bavariæ DUX HENRICUS, quem Ludovici impios auſus ejurantem Avinioni pleno Cardinalium conſeſſu audivit Papa, laudavitque, teſte *Ptolomæo Lucenſi* apud Odoricum ann. 1334.. Neque reticenda Alberti Auſtriaci divina laus; qui ſuas oblitus, ſuorumque offenſiones, haud deſtitit ſana conſilia ingerere Ludovico, *ne cœptum cum Eccleſia tractatum reconciliationis diſſolveret, ſed Pontifici de rejiciendo Anglo, firmandoque cum Gallis fœdere, aſſociaretur. At non minus optima Auſtriaci, quàm Pontificis conſilia repulit Ludovicus, & Imperatoris iterum nomen affectavit. Raynal. ann.* 1337. *num.* 5.

9 Quæ tum meditamenta eſſent Chriſtianiſſimo digna Principe, ediſſerit Pontifex in hæc verba. *Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Philippi Regis Franciæ, aliorumque, quos vivificæ Crucis inſignivit ſignaculum, negotium proſequi tranſmarinum.* Hæc inter harras pænitentiæ, quas Papa Ludovicum flagitabat, præcipua erant, *ne contra Chariſſimum in Chriſto Filium, Philippum Regem Franciæ, aliquid attentes adverſum.* Sed irrita vota Pontificis, inaneſque Pſeudocæſaris pollicitationes. Siquidem (uti fusè Raynaldus ad ipſum annum 1339.) Edoardus Rex Anglorum, *Ludovici armorum præſidio ſuffultus*, Galliam invaſit; eaque propter Summus utrique Sacerdos ritè maledixit è Curia Avinionenſi; cujus obſecrationis ſolemne chirographum habet idem auctor ad eundem annum, menſe Januario.

10 Valde eâ quidem tempeſtate Bavarum territabat ſtrenuus ille Auſtriæ Dux LEOPOLDUS Friderici in Imperatorem adlecti Frater; cui mira cum Rege Gallo erat conſenſio animorum. *Videbat Ludovicus non quieſcere Leopoldum Auſtriacum, ſed cum Rege Gallorum Philippo convenire*: hæc Struvius *Diſſer. German.* 26.; ſubdens ex Alberto Argentonenſi pag. 123. *Conglutinatis autem Papa, Franco, & Leopoldo Auſtriaco &c. Papa Ludovicum excommunicavit, & poſt annum ſimiliter de hæreſi condemnavit.* Mox ſubjungit ex Villano lib. 9. *Eodem anno Ludovicus Pontificem ad Generale Concilium Romam citavit, triginta*

ginta ſex capita ei opponens, *eumque non legitimum eſſe Papam dicens*: decretum citationis edidit Goldaſtus fol. 325. . Rem multò latius eandem explanat Galvaneus fol. 1000. Tom. XII. Rer. Ital. „ Bavarus cum non eſſet per Eccleſiam confirma-
„ tus Imperator, jura imperialia miniſtravit, auctoritate
„ propria &c.: miſit Vicarium in Italiam, ut hoſtes Eccle-
„ ſiæ foveret. Tunc Papa ipſum omni honore regali, ſi
„ quod habuiſſet, privavit: omnes fideles a fidelitate ab-
„ ſolvit: omnem Civitatem, ipſum recipientem tanquam
„ Regem, Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto: omnes ejus fau-
„ tores excommunicavit. Quod audiens Ludovicus Medio-
„ lanum intravit, Coronam Italici Regni de manu trium
„ Epiſcoporum ſchiſmaticorum ſuſcepit; & vadens Romam
„ ſe ipſum coronavit, & Papam, imo Antipapam propria
„ auctoritate inſtituit, & verum Papam, ut potuit, depoſuit;
„ propter quos exceſſus iterum excommunicatur, ac depo-
„ nitur.

11 Tunc collatis raptim copiis, Aymum Sabaudiæ Comitem, & Imbertum Delphinum Viennenſem opitulatos Franciæ, Eccleſiæque eſſe notat ibidem Odoricus. Ambo ii Principes, ut dicam mox, præſentiſſimam quoque nobis opem eodem anno 1339. præſtiterunt. Quare propalam fit eo anno Ambroſianâ Victoriâ claro, Mediolanenſes, Viennenſes, Allobroges, Francos, Auſtriacos marte concordi, ut ſarta tectaque jura Eccleſiæ, & Imperii tenerent, contra Bavarum contendiſſe. Celebris ibidem eſt apud Raynaldum, Legatio Alberti Auſtriaci plena amoris, & obſequii, qua Papam in Galliis hoſpitantem adoravit ſupplex. Laudant Ciaconius fol. 464., & Chatachuzenus Lib. 1. cap. 24. inſignem per ea tempora, Comitum Sabaudiæ religionem: binas litteras depromunt, quas S. Romana Sedes dedit ad ipſos Comites, ſimulque ad Annam, ſeu *Johannam ex Comitum Sabaudiæ ſtirpe Catholica*, Andronico Paleologo Orientis Imperatori nuptam, *quæ mirum in modum Eccleſiæ favebat*, *ut cœptis inſiſteret*; toto namque incubuerat pectore, ut ex Oriente Infideles abigeret, atque Romanæ Græcam Eccleſiæ coaptaret.

12 In-

12 Interim quid tu, Vir Sapiens, ad hæc? Quo tempore Franci cum Auſtriacis, ſuopte mercabantur ſanguine libertatem Imperii, Summique tutabantur auctoritatem Pontificis, eone tibi videantur digni potiſſimùm fuiſſe, quos S. AMBROSIUS, extra Itáliæ fines ageret, atque indelendæ notâ infamiæ dehoneſtaret? Faceſſant tandem ſomnia hæc non futilia modò, ſed irreligioſa, & Ambroſio noſtro, nobiſque etiam indecora. Haudquaquam tamen ignorem non deeſſe quempiam apud Struvium *Diſſer. 26. fol.* 848., qui culpam Ludovici rejicit in ejus amanuenſem, quod inſcii Cæſaris nomine, litteras dediſſet ad Johannem Papam atroci plaſphemiarum atramento manantes, ut ipſum incitaret contra Cæſarem. Sed hæc viderint alii.

13 Jam mihi ad rem propiùs acceſſuro inquirendum eſt diligentiùs eo anno 1339., uter in nos foveret hoſtiles animos, num ille Rex Francorum *verè Catholicus*, an ille Pſeudocæſar Eccleſiæ perduellis; qui ſtatimatque Mediolanum venit ad Coronam Italiæ appetendam, etſi Mediolanenſes, ut petenti indulgerent armato, Papam, & Auſtriacos nonnihil offenderint: pro tanto beneficio, quantum paſſi injuriarum poſtridie ſint, malim audias ex coævis. Pariſius de Cereta (a), *ultimo*, inquit, *Maji Ludovicus cum Domina ejus uxore coronatus fuit Coronâ Ferrea in Eccleſia S. Ambroſii de Mediolano &c. Interfuerunt dictæ Coronationi Dominus Canis Grandis de Scala cum duobus millibus equitum, & quingentis peditibus bene armatis.* Diſce hinc, quanta Bavarianos ſimul neceſſitudo, & Scaligeros necteret utroſque Mediolanenſium diros hoſtes. Addo ex Piſtorienſi (b): *Non illum Imperatorem appellabant, ſed Bavarum; quia veniebat contra voluntatem Papæ. Quum adhuc Mediolani ſuſtineret, & rei numariæ inopiâ laboraret, gravem Mediolanenſibus taleam indixit. Qui quum exhauſtum bellis ærarium haberent, apud Domnum Galeatium Vicecomitem conqueſti ſunt. Domnus Galeatius cum ſuis fratribus Bavarum adierunt, narrantes querelam ſuorum civium.*

Quo

(a) *Chron. Veronenſ. Tom. 8. Rer. Ital. fol.* 644.
(b) *Tom. XVIII. Rer. Ital. fol.* 443.

Quo audito indignatus ille juſſit Galeatium capi, & in carcerem Cremam deduci. Hæc ille italicè ſcribebat. Conſona eſt Gottelffii Struvii ſententia loco ſæpè notato, ubi poſtquam ex Burgundio lib. 2. innuit Ludovicum Ferreo fuiſſe Diademate ab tribus Schiſmaticis redimitum Aretino, Tridentino, ac Brixienſi, noſtro per eos dies Epiſcopo exulante: *Poſt coronationem*, inquit, *longior mora fuit in comparandis pecuniis, quarum causâ ferunt Galeatium Ducatu ſpoliatum: id quod maximè improbatum eſt Cæſari, ut a quo ſummo cum honore Mediolani receptus ſit, Ducatu eum ſpoliaverit, & in carcerem truſerit cum aliis Vicecomitibus.* Neque in ſumma rei diſcrepat Flama fol. 999. Tom. 12. Rer. Ital. *Ludovicus Dux Bavariæ, qui ſe Regem Romanum intitulabat, Azonem in caſtro Modoetia incarceraverat cum Patre, & Patruis, & dominio Civitatis privaverat, & per Mundum exules ire fecerat.*

14 Poſt varios inde caſus, *Azo* rerum potitur, ac totus ad religionem intendit ſe, lata lege, quam memorat ibidem *Flama* fol. 1002., uti ſingulæ Urbes, ac Municipia ſignum aliquod affabrè pictum dono ferrent ad Templum Deiparæ ſibi in Auſpicem, ac Dominam adlectæ: mox expiandis civibus, ſiquid Pſeudocæſareæ aliquando factioni adhæſiſſent, veniam erroris expoſtulans, ſupplicem Papæ legationem bis terque miſit in Galliam. Ejuſmodi legatio inita ſæpius eundem Ludovicum ejuratura fusè traditur apud Flamam fol. 1004., unde carptim iſta deſumpſimus. *Azo Vicecomes ſano uſus conſilio, contra Ludovicum Imperii uſurpatorem, inſurgere cœpit &c. Inſtituit Syndacos, & Procuratores, quorum nomina ſunt Johannes de Pontirolo, & Guidotus de Calice, ad comparendum coram Summo Pontifice in Avinione, ad excuſandum Cives Mediolani, de Coronatione Ludovici.* Ad annum verò 1332. ſequitur altera multò celebrior ſupplicatio, atque amplior. *Principaliores Legati fuerunt Nobilis Miles Vercellinus Vicecomes, & Johannes de Burris, & Prælati, & Capellani plures; inter quos unus Doctor Juris Martinus de Aliprandis ex Familia magna nimis.* Anno autem 1335. idem *Azo volens ſe oſtendere filium Eccleſiæ, nobilem ambaxiatam ad Curiam miſit, inter quos fuit Frater*

Lan-

Lanfranchus Ordinis Eremitarum Magiſter licentiatus Pariſius ex illis de Setàra: quos honorificè Papa excepit.

15 Hæc Mediolani magnis, ac verendis cæremoniis acta, velox ad Ludovicum fama pertulit. *Quo audito*, inquit Flama fol. 1002. 4., qui tum præſens inhorruit ad irarum tantam molem, *Ludovicus in furiam converſus intravit Lombardiam, deſiderans Vicecomitum genus exſtirpare &c. Ad pontem de Archetto, ubi erat una magna taberna, caſtra poſuit &c. Durante obſidione, Mediolani cuſtodes die, ac nocte ſuper turrim S. Ambroſii clamabant &c.* O Gabrione, Ebrioſe! bibe, bibe, hò! hò! babii, babo. *Tandem deficiente Dei, & hominum auxilio &c. in feſto Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, Papiam perrexit, deinde in Alemaniam &c. Papa, qui plus eum, quàm hominem viventem timuit, & odivit, gaviſus eſt valde, conſiderans, quod ſola Civitas Mediol. poſſit, aut poterat Ludovici impetum refranare, ne iterum intraret Italiam*: hæc Galvaneus, qui continuò fol. 1005. ob oculos ſiſtit memorandum Diploma Alberti Auſtriæ Ducis dat. Viennæ, anno 1336.; quo in Diplomate, Brutio Luchini Vicecomitis filio *Aureæ Coronæ* decus ſibi, ac poſteris utendum impertitur, ob rem bello Auſtriaco egregiè navatam. Hæc ſecum Lector perpendat attentius.

16 Interim ego valde opportunum loco huic depromo FRIDERICI AUSTRIACI Diploma ex tabulario Trivillii inſignis Oppidi, Mediolanum, ac Bergamum ferè intermedii. Percipias ex hac charta, quanto ille Cæſar clementiùs ageret nobiſcum; allegaverat enim huc Triumviros Imperiali omnimoda fretos auctoritate, qui jura, ac privilegia noſtra curarent ad ejus mentem clementiſſimam ſarcienda.

Litteræ Encyclichæ Friderici Auſtriaci, Romanorum Imperatoris.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad univerſorum Sacri Romani Imperii fidelium notitiam volumus pervenire, quod cum Nos, Nobiles viros de Hedden *conſanguineum noſtrum, &* Johannem de Turre *Dominum* Caſtillionis in Valleſio, *& honorabilem Virum Magiſtrum* Hermanum de Stocha *Segretarios, & Nuncios ſpeciales ad requirendum, noſtro, & Sacri Romani Imperii nomine ab univerſis Civitatibus, Caſtris, Villis, Burgis, & a Rectoribus, Communitatibus, & hominibus earundem in partibus Lombardiæ conſtitutis, & Romano ſubjectis Imperio, nec non a Baronibus, aliiſque Nobilibus, Vaſſallis, Feudatariis, & Fidelibus partium earundem, fidelitatis debitum ſacramentum, eiſdem Nunciis noſtris hanc poteſtatem duximus concedendam, prout opportunum fuerit cum dictis Civitatibus, Caſtris, Villis, ac Burgis, & Nobilibus, ac Fidelibus præfatis tractare valeant de confirmandis, ipſis per nos ipſorum privilegiis, & gratiis a Divis Imperatoribus, & Regibus Romanorum prædeceſſoribus noſtris ritè, & rationabiliter conceſſis, ipſaque promittere per Nos etiam confirmare, ratum, & gratum habituri, quicquid per eoſdem, vel duos ex ipſis in hac parte actum fuerit in integrum. Promittentes noſtras Regales litteras eiſdem concedere, juxta tractatus ſupra hujuſmodi confirmationibus habitos, & noſtro Regali ſigillo communire. In quorum omnium teſtimonium dictis noſtris Procuratoribus has litteras ſcribi, & noſtris ſigilli teſtimonio juſſimus communiri. Dat. in Stafuſa, xiiii. Kal. Julii, Regni noſtri anno octavo.*

17 Eò revertar, unde exceſſi. Quandoquidem Theutonum Rex erat Ludovicus Mediolanenſium dirus hoſtis, utquid igitur iis in prælio exterrendis, Henricum Theutones implorabant? Haud ignorem Clero præſertim Ambroſiano funeſtum Henrici nomen, ex quo manavit ea labes, quam *Henricinianam* hæreſim dixere publico mercatu Eccleſiarum, & qua-

& quadam veluti rerum ſacrarum nundinatione infamem, bellis civilibus, & martyrum cæde cruentatam. Sed de his affatim penes Cardinalem Petrum Damiani Opuſcul. V. Titul. *Actus Mediolanenſes*. Lues tamen ea quanquam graſſata in multum ævi, deſiit ſub Henrico Septimo eodemque ultimo, qui jam fatis communibus ceſſerat anno 1313. At nondum ſatis oblivione deletum erat nomen Henrici triſte Italis, ac Vicecomitum ſanguini læthiferum. *Nicolaus Botrontinenſis* (a) Epiſcopus (erat his a penitiore ipſius Henrici conſilio) in Epiſtola ad Clementem Quintum *de Itinere Italico* ejuſdem Regis hæc habet. *Mandavit Rex, quod Domnus Matthæus Vicecomes cum filiis caperetur*. Et fol. 897. *iſtum innocentem mandavit capi ad interficiendum*. Et infra. *Alia quinquaginta millia florenorum, cum talibus rumoribus recollecta, ut ego non audebam venire ad Palatium Mediol., propter maledictiones, & vituperia, quæ dicebant de Rege &c.*

18 Alia ibi valde gravia pandit idem Epiſcopus; aſt ego nondum intelligo, cur in eo conflictu, manes Henrici è tumulo ciendi forent, atque Eumenidum inſtar, in pugnam evocandi. Quod ad fidem videtur pronius, adaperiam candidè. *Gaſpar Bugatius* ſub ann. 1322. tradit Henricum quendam cognomento Ghuneſtenem, veteranæ Teutiſcorum legionis Chiliarcum militaſſe Galeatio Vicecomiti, multa perpeſſo in obſeſſa Urbe, diſcrimina, quorum illud extremum, quòd Teutiſci eidem Galeatio militantes, pecuniâ Turrianorum corrupti, ipſum in æſtu obſidionis capere ſunt auſi; & tradidiſſent etiam hoſtibus, niſi maxima obluctatus vi, ſex millia florenorum ex auro demum pepigiſſet. Ecquid vetat opinari, Henricum hunc duxiſſe legionem illam, quæ ut paulò ante memorabat Flama, Actium deſeruit medio in æſtu belli, ac Veronam ad Scaligerum tranſiit: mox Veronâ contra Actium Duce eodem Scala, redeuntes proditores impios Sanctambroſiano tandem fuiſſe telo conſumptos? Opidò tota rerum, quas attuli hucuſque, ac rationum complexio probat evidenter, maledictos eos homines Cælum

(a) *Inſert. Tom. IX. Rer. Italic. fol.* 883.

Franciæ adſpexiſſe nunquam . Quid enim iis cum Rege Francorum Philippo, qui tum nobiſcum fide ſociali, ac marte toto, adverſus Pſeudocæſarem Ludovicum, res urgebat?

19 Cæterùm eâ lœti victoriâ Mediolanenſes ad Parabiacum partâ, ut aliquod religionis ederent ſpecimen inſignius, quartam in Gallias legationem longè omnium ſolemniſſimam inſtituunt, Summum exoraturi Pontificem, ut contractæ ſibi olim ex Bavaro noxæ dignetur quicquid piaculi imperare. Apud Marchiones *de Fagnano*, quos devoti obſequii cauſsâ libentiùs nomino, habetur hac de re Diploma Benedicti Papæ XI. Dat. Avinione anno Pontificatus ſeptimo, valde quidem Viris doctis expetitum, at prolixius multo, quam ut opellæ innecti huic poſſit; octoginta enim paginas ecgraphum implet. Digniora ſcitu hæc ſummatim colligo, quæ ſequuntur.

CAP. VIII.

De Credentia Sancti Ambroſii DIGRESSIO.

1 VIduatam Azonis morte Urbem duo regendam acceperant ejus patrueles Luchinus, ac Johannes tum Novariæ, dein Mediolani Antiſtes, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Euſtachii per Italiam Legatus. Præſides hi *Credentiam* (a) *S. Ambroſii* convocant, quod erat majus, ſeu numeroſius in Urbe Concilium. Primum adpellabatur Sacrum, ac penitius Conſilium Principis: alterum, ut nunc, Duodecim Proviſionum; tertium *Credentia* ex noningentis completa, nomine inde ſumpto, quod per eos ſibi Civitas probè conſultum iri crederet.

2 Plures ſexcentis in hoc adverſus Ludovicum conventu Credentiarii adſiſtere; quorum ego ſingillatim nomina augendo Mediolanenſis antiquæ Gentilitatis cenſui ſubjiciam, poſt hæc obiter adnotanda. Ex Statutis Mediolanenſibus Cap. III., & V. noningentos in annum (tantus modò numerus ad ſexaginta Decuriones venit) Credentiarios Princeps creabat, centenos quinquagenos ex ſingulis *Portis* Urbem diſcriminantibus in ſex Regiones. Ex eodem Statuto *Juriſperiti*, ac *Milites*, ſuopte perpetuo jure, Credentiam intrabant, ultra noningentorum, qui quotannis inſtaurabantur, præfinitum numerum.

3 Neſcit *Carpanus* ibi in Notis, quid per iſtud Militis nomen velit intelligi; neque decernere ego quicquam pro certo audeam. Num fortaſſe Equeſtrem Ordinem, ſeu Nobilium eam claſſem, quos regale Feudum aliquod inſigniret? Duffreſnius Gloſ. in verbo *Miles*. *Seculo XIII.* infit, *circiter*

ineunte

(a) *Credentia vide infra Cap. XI.*

ineunte Militis nomenclatura Nobilibus adſcribi cœpit adeo, ut Miles, & Gentiluomo unum, & idem ſonaret. Ego tamen vix credam, quot eſſent gentilium ejuſmodi Civium capita, totidem millibus Credentiam coaluiſſe tumultum potiùs, quàm conſilium effecturis. In toto ſyllabo Credentiariorum, quem confeſtim do, unus ſignatur *Aroſtellus Scacabarotius miles.* Cuinam fidem feceris, quo in conſeſſu agebatur ſumma rerum, adfuiſſe unum dumtaxat de toto genere Nobilium, aut ex tot familiis, quas habet idem ſyllabus, hac ætate admodum claris, at nullo tum militis additamento inſignitis, vix unam eo tempore fuiſſe equeſtrem, ac nobilem?

4 *Gentis, & natalium nobilitas neceſſaria erat, ut quis militiam conſequeretur*; neque propterea nobili quivis loco natus illico Miles erat. Permulta idem Auctor exhibet genera Militaria, eorumque inaugurandi ritus varios, cingulo potiſſimè, atque enſe pretioſiore de ara accepto. *Maximè vero*, ſubdit, *qui ratione alicujus beneficii, ſeu feudi, ſervitio militari adſtrictus erat*, Miles creabatur; *unde Miles pro Vaſſallo paſſim uſurpatur a Scriptoribus.* Ergone Vaſſalli Credentiam ingrediebantur omnes? Ergo vel hi pauciſſimi erant, vel iiſdem fortaſſe obſtitit reverentia Cæſaris licèt exauctorati, ne contra ipſum in Concilio venirent, cui ſe in feudali confirmatione forſitan obſtrinxerant, quanquam inani ſacramento. At ex adverſo ut adeſſent, fortius urgebat præſentia Principum Johannis, & Luchini; neque abſolviſſet Civitatem Pontifex, ſi militum nutaſſet fides.

5 Veri non abſimile eſt, rarum, electiſſimumque Mediolani fuiſſe cætum hujuſmodi Equeſtrem ſub auſpicio (quidni opiner èt hoc?) Sancti Ambroſii. Proferam ego Cap. 8. textum *Galvanei* enarrantis ſeptem in prælio Parabiacenſi accinctos milites, Mathæum Vicecomitem magni abiaticum, Johannem Scacabarotium, Regynaldum de Aſſandris Mantuanum, & quatuor Teutonicos, quorum ſummo niſu depugnata ea pugna fuerat. Aderat igitur hac etiam in Urbe Inſignis Ordo, in quem optimè de ſe meritos Commilitones adoptabat Princeps. Neque ego multum ambigam, quin iidem Milites eſſent

illi,

illi, quos Statutum Mediolanenſe ſuperaddit noningentis, Conſilio Credentiæ perpetuò futuros. Nulli enimverò, priuſquam cinctu ſolemni inauguratus eſſet Miles, ſacrum hoc ſanctumque uſurpare nomen erat fas. *Apud omnes ferè nationes, neminem appellari Militem, niſi qui militarem ordinem revera eſſet aſſecutus, atque ipſi etiam Reges, ac Duces hunc præ ſe titulum non ferebant, niſi poſt conſecutam Militum dignitatem, qua ſemel obtenta, eo potiſſimùm titulo gloriabantur.*

6 Utrum autem Ordo hujuſmodi gauderet peculiari auſpice S. AMBROSIO, tametſi nil certi exploratum habeam, ſuſpicor rem ita ſe habuiſſe. Teſtis *Flama* (a) oculatus tradit Azonem balteo militari donatum ad aram S. Ambroſii; itemque Azonis manu anno 1334. die Paſchatis ad aram eandem accinctos ritè fuiſſe Pinalam de Aliprandis, & Franciſcolum de Puſterula. Memorat ab Azone eodem auctoratos Milites Johannem de Bizozero, & Bronzinum de Caymis, nec extra Baſilicam Ambroſianam id factum meminit. Sanè dum hoſtes ad Parabiacum, Henrico acclamarent ſuo Duci; è contra Mediolanenſes Luchino Ductori plauderent ſuo, concors erat omnium vox Io! *Miles Sancti Ambroſii*; fuerat enim Luchinus ab in prætexta initiatus Miles, teſte ibidem Flama. Sed is, qui mihi hanc dicam intexuit ſcitè, ac ſubtiliter, reſolvat Don *Alexander Teodorus Trivultius* obriziæ nobilitatis, equeſtris prudentiæ, ac litteraturæ ſplendor, idemque Ordinum Civitatis Conſervator, quem boni Superi diu ſoſpitent. Venio ad rem.

Incipit tenor Inſtrumenti, quo inſtituti ſunt Oratores ad Summum Pontificem contra Pſeudocæſarem Ludovicum.

IN nomine Domini amen. Anno 1340. *Indictione* 9. *die Veneris* 27. *Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi Patris D.D. Benedicti Divinâ Providentiâ Papæ XII., anno ſexto. In præſentia mei Notarii &c., ibidem exiſtente Nobili Viro* D. Franciſco de Oramara Marchione Maleſpinæ *Poteſtate Civitatis Mediolanenſis pro Magnificis Dominis* D. Joanne Epiſcopo Novarienſi, *&* D. Luchino

(a) *Tom. XII. Scriptor. Ital. fol.* 999. 1020.

chino Fratribus de Vicecomitibus *ipſius Civitatis Dominis Generalibus, in publico, & generali Conſilio Communis, & Univerſitatis hominum Civitatis ejuſdem ſono Campanæ, & voce præconia, more ſolito, convocato, & congregato in Palatio, ſicut fieri conſuevit in majoribus, & arduis negotiis ipſius Civitatis pro infraſcriptis ſpecialiter exequendis. In quo quidem conſilio interfuerunt duæ partes, & ultra Conſiliariorum, & hominum ejuſdem Conſilii, & Univerſitatis ipſius Civitatis Mediolanenſis, quorum nomina inferius deſcribentur, cum numerus Conſiliariorum, ſeu Credentiariorum dictæ Civitatis conſiſtat in Conſiliariis, & Credentiariis noningentis, ex quibus conſtat plenitudo dicti Conſilii, ad quos Conſiliarios, ſeu Credentiarios ſpectat adminiſtratio, & gubernatio plena, & libera poteſtas, & diſpoſitio Civitatis ejuſdem tanquam ad Conſiliarios, & Decuriones, ſecundum, quod ipſi D. Poteſtas, & Conſiliarii &c. ſuo nomine, & nomine, & vice Communitatis, & Univerſitatis &c. fecerunt, & faciunt ſuum, & cujuſque eorum Procuratorem, & Syndacum, & quicquid melius eſſe poteſt, providum virum* Guidotum de Calice *natum qu. D. Benedicti Civem Mediolanenſem, ad devotè, & humiliter comparendum coram Sanctiſſimo Patre, ac D.D. Benedicto Papa XII., & coram Sacro Collegio Reverend. Patrum DD. S. R. E. Cardinalium &c. ad aſſerendum dicto nomine, quod ipſa Civitas erit, & permanebit devota, & fidelis Sanctitati D. Noſtri Papæ prædicti, ſive Chriſti Vicarii, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſicut cæteri fideles, & Catholici Chriſtiani, & ad promittendum, & jurandum in animas dictorum conſtituentium, quod ſtabunt, & parebunt mandatis Eccleſiæ &c.*

7 Capita ſanctionum, quas iſtud Credentiæ Conſilium edidit, magno volumine complicatarum, hæc ſumma ſunt. Irent quantocyus Avinionem Oratores duo, quos innuit Pontifex in Diplomate, *Leo de Dugnano*, & *Manfredus de Sarazonibus* juris docti, qui unà cum præfato Syndaco, tactis aris, coram Benedicto Papa, confiterentur ſe, quod ſui eſſet moris, lauta comitate Bavarum excepiſſe olim; nunquam tamen *ei faviſſe in aliqua hæreſi, vel in ſpecie hæreſis*. Item gravi ſe adactos metu, Cæſarianis aliquando exactoribus ſuos ſatellites præſtitiſſe, ad excutiendam Clericis pecuniam; minimè verò in

ea

ea unquam hæreſi fuiſſe, ut dicerent Pontificis inaugurationem juris eſſe Cæſarei. Adderent ex ſacramento, nullum ſibi poſthac receptum iri in Cæſarem, aut Romanorum Regem, cui Apoſtolicæ approbationis pondus abſit.

8 His ritè peractis in ampliſſimo Cardinalium cætu, Pontifex alia quædam pacta piacularia Mediolanenſibus injunxit; ac primum ne cui unquam auxilio forent ad audendum *contra Bononienſem, & Ferrarienſem Civitates, earumque Comitatus, & Marchiam Anconitanam, Romandiolam, Ducatum Spoleti, Patrimonium S. Petri in Tuſcia, Campaniam, ac Maritimam.* Juſſi præterea duas S. Benedicto Abbati aras condere, alteram in Cathedrali Eccleſia, alteram in Ambroſiana: utrobique alere ſacrificem, ac quotannis erogare in pauperes bina pondo millia panis gradarii, imo inter anniverſaria S. Benedicti coram Præfecto Urbis concionem habere, in qua Orator è ſuggeſtu Clementiam Sedis Apoſtolicæ erga Mediolanenſes recoleret grata commemoratione.

9 Hæc adamuſſim executos Cives quum uti fit, aliqua in deſuetudinem abiiſſent, vehemens religio inceſſit. Deprecatoriæ hac ſuper re ad Leonem Decimum litteræ ſub an. 1518., & omnimodæ abſolutionis Breve Apoſtolicum adſervatur loco infrà notato (a). Quiddam ejuſdem ſcrupuli in animos relapſum exemit Bulla Pii Quarti ad ann. 1563., quam ſervat Eques præclariſſimus D. ALBERTUS VICECOMES DE ARAGONIA, ſub tit. *De oneribus Civitatis*, utpote cujus ipſe Præfecturam ita geſſit, ut perſæpe gerere promeritus eandem ſit.

10 Veruntamen Pontifex non venia modò dignos Mediolanenſes, quod Pſeudocæſarem armatum excepiſſent intra Urbem jamdudum ab Ænobardo exutam muris (hos dehinc Azo reſtituit in ambitu Euripi), ſed quod eundem ſoli pepuliſſent ultra alpes, ſummis cenſuit laudibus exornandos: plura de his apud Flamam ibi fol. 1039. *Benedictus XI. ipſos Dominos de Mediolano, eorumque hæredes, ſive ſucceſſores inſtituit Eccleſiæ Vicarios jure perpetuo in Civitate Placentina, Laudenſi, & in Caſtris Crema, Caravagio, Martinengo, Caſtronovo in faucibus Adduæ. In-*

A a *ſtituti*

(a) *In Archivo Civit. Mediol. regeſt. Literar. ab ann. 1512. fol. 198.*

ſtituti etiam Vicarii Generales vacante Imperio, in Civitatibus Mediolano, Brixia, Cumis, Vercellis, Cremona; quia ſecundum omnia jura adminiſtratio Regni Italici pertinet ad Eccleſiam vacante Imperio, ut modò vacat; e vivis enim exceſſerat Fridericus Auſtriæ, Imperator electus, Ludovico adhuc Imperium premente. Signa ejus Vicecomitis Papali jure gerentis Vicarium munus Imperii exhibet Caſtrum Modoetiæ, qua meridiem contrà ſpectat ſub turri magna in præcipiti ſtante: quatuor ibi tabulæ ex pario marmore juxta compoſitæ; quarum in media, eàque grandiore ſerpit Anguis Vicecomitum inſigne: hunc Ales ſupervolat Cæſareus inſtar coni: Crux, Claveſque hinc inde Apoſtolicæ complent ſymbolum Imperialis Vicarii a Pontifice inſtituti.

11 Accipe modò aureis pangenda characteribus nomina *Credentiariorum*, qui in eo adſtitere conſilio altiùs feriendi fœderis cum Eccleſia, atque adeo cum Auſtria, Galliáque. Moroſior videri hæc nomenclatura fortè alicui poſſit minus genealogiæ ſtudioſo, & iis, qui gentilitatis patriæ cenſum haud magni faciunt. At utinam prolixior ea foret! Quod enim doleo magnopere, ex noningentis, qui tum præter Juriſperitos, ac Milites *Credentiam* integrabant, Viris ſapientibus, plures ducentis huic Catalogo deſunt, eo fortaſſe anno 1340. implicati curis etiam majoribus. Catalogum ego eundem contuli, quam diligentiſſimè cum tribus ecgraphis perantiquæ notæ: extat primum in Archivo Civitatis noſtræ *Regeſt. Liter. Ducal. ad annum* 1395. *fol.* 67.: alterum in tabulario Novocomenſi *Codic. ſignat. V. fol.* 266.: tertium in Chartophilaceo Novarienſis Eccleſiæ Libro, cui titulus *El Valiſon*.

12 Tu verò forſitan percunctére, quid ſit, quod in hoc ſyllabo, nominibus ferè ſingulis pro cognomine adjacet loci ethymon, aut municipii, perinde acſi non ea forent gentilia familiarum, ſed localia potiùs additamenta rurium, aut oppidorum, unde ortus quiſque, vel oriundus in Urbem venerit? Opportunè hæc ad Gallo-germanam laudem, advertenda nobis occurrunt iſto loco. Duæ celebrantur ex agro Mediolanenſi immigrationes in Urbem potiſſimæ: prima ab Urbe condita:

dita: altera ab Urbe reparata. Ex allatis nuperrimè Livio, ac Strabone, profectò noris, quid ante adventum Gallorum, eſſet tanta hæc Urbs. *Mediolanum vicus erat; omnes enim vicatim habitabant.* Ita ſanè dictante Natura, ſedes erant Inſubrum diſpoſitæ in agris, quo commodior cultura foret, dos opulenta regionis ad uſum vitæ humanæ, immò ad delitias, ni ceſſet bos, affluentis. Accedit, quod ſtagnantes per hæc plana paſſim fluvii, nondum ſatis acclini in Padum alveo, cœlum efficerent inſalubre: auctores ſunt Gaudentius Merula, ac Bonaventura Caſtillionæus *De antiquis Gallorum Inſub. Sedib.* Pagatim ergo in clivis, ad radices montium defæcatus aer, & uberior gleba, pluribi etiam bifera, egregii ubique vini ferax priſcos Inſubres tenuit. Eos indidem excitos Galli rerum potiti, ut adverſus præpollentes opibus Hetruſcos propugnaculo eſſent, cinxere muris; eaque fuiſſe prima Urbis noſtræ ſpecies traditur. Ab Gallis ad Romanos, & hinc ad omnigenas Barbaros traductis rebus Inſubrum, tandem ex Gallia, ſeu (ut Cap. V. expendimus) ab Germania exſurrexit ille Romani adſertor Imperii, ille Italicæ vindex Libertatis, CAROLUS cognomento Magnus; qui pulſis demum Langobardis, vacuam ex parte Urbem dedit reducibus ex agro vetuſtiſſimis Mediolanenſium familiis, quæ dudum procul a tumultu barbarico ſeceſſerant in ſua rura. Reverſis manſit cuique agnomen Caſtri, ſeu Oppiduli, unde in Civitatem unaquæque demigraſſet: quod ipſum paulatim omiſſa præpoſitione *de*, in gentile cognomen tranſiit, ut erudito cuivis, ac tabularum veterum perito notiſſimum eſt. Ea utique gentium commixtio neceſſitatem effecit profitendi ad diſcrimen in publicis tabulis, qua quiſque lege viveret ſive Romana, ſive Salica, ſive & Langobardorum; quem reſidui plerique, morem profitendæ legis avitæ, ad Duodecimum uſque Seculum tenuere. Hæc diſpiciant ii, queis eſt otium, & cura.

Nomina Decurionum Credentiæ Mediolanenſis anno 1340.

Prevoſtus Priora.
Beninus de Beſana.
Beltramus de Laude.
Ardighinus Feroldus.
Niger de Giſſate.
Ruginolus de Meda.
Martinus de Montorfano.
Comelus Amiconus.
Paganus Trulia.
Chriſtophorus de Sorexina.
Niger de Montorfano.
Ambroxius Viola.
Jacobus Bellaſpata.
Jacobinus de Cecilio.
Jacobus Carcaxinus.
Miranus Lanterius.
Armanicus Amaranus.
Paxolus de Pontirolo.
Guercius Scancius.
Araſmolus Cavazia.
Franciſchinus Prata.
Magiſter Jacobus de Herba Phixichus.
Tizerius de Vaprio Ferrarius.
Obizo Ghiringellus.
Johannolus de Oreno.
Philipolus de Vaprio.
Galvaneus Menclotius.
Petrolus Menclotius.
Niger de Pigorono.
Laurentius de Bernadigio.
Petrus Prealonus.
Giorgiolus Polvarus.
Odoardus de Pirovano.
Albinus de Cimiliano.
Villanus Arzonus.
Roſonolus Feroldus.
Gaſparolus Mazales.
Conradus de Deſio Juriſperitus.
Rogerius de Modoetia.
Guido de Paracio.

Guido Amabene.
Lanfrancus Calvus.
Galvaneus Ferrarius.
Paganus Cicada.
Johannolus de Cropello.
Johannes Carimanus.
Bellus Balbus.
Guidottus Ferrarius.
Gafoynus de Pegiis.
Balzarus Benzonus.
Beltramolus Ferrarius.
Paganus Paſſera.
Lucolus de Caſtano.
Lanfrancus de Vicomercate.
Nicolinus de Orſenigo.
Anſelmus de Modoetia.
Bernardus Ghiringellus.
Bergamus Ferrarius.
Jacomolus Luvonus.
Petrus de Ruzo.
Lantelmolus Ferrarius.
Dionyxius Verrus.
Guidolus de Canobio.
Rugerius de Marliano.
Franciſcus de Brippio.
Loterius de Marliano.
Franciſcus de Merate.
Januarius de Merate.
Comolus de Cavenago.
Albertinus de Marliano.
Franceſcolus Marcellinus.
Antonius de Cornu.
Agudus Borgna.
Bernardus Priora.
Georgius Scroxatus.
Carolus de Modoetia.
Porolus de Laude.
Franciſcus de Pontirolo.
Bernardus Mora.
Paulus de Vaprio.
Guillelmus Squaſſius.
Franzolus Baturna.

Georgius de Cimiliano.
Minollus Carlus.
Jacomolus de Carate.
Balzarus de Dexio.
Magiſter Georgius Ferrarius.
Franciſcolus Sanſonus.
Stephanus Menclotius.
Franzolus de Porta.
Jacomolus Corvus.
Amagiolus de Oſnago.
Ambroxius de Ramellis.
Franciſcolus de Archori.
Johannolus de Puteobonello.
Roſolus de Puteobonello.
Johannes Montenarius.
Thomaxius Burrus.
Philipolus de Trivillio.
Franciſcolus de Trivulzio.
Lanzalotus de Cimiliano.
Maſiolus Burrus.
Johannolus de Paraxio.
Petrus de Baxilica Petri.
Balzarus Crivellus.
Maſiolus Montenarius.
Alcherius de Sancto Michaele.
Philipolus Confaronerius.
Guillielmus Confaronerius.
Petrus Burrus.
Franciſcolus de Septara.
Conradolus de Septara.
Jacobus de Septara.
Gaſparinus quonam Domini Franzini de Vicecomitibus.
Prevedolus Vicecomes.
Franciſcolus Burrus.
Ambroxius Prealonus.
Petrus de Oxenago.
Jacobinus de Modoetia.
Baldinus Burrus.

Guido

Guido Canevarius.
Niger de Carugate.
Gaſparinus Abbas.
Thomaxinus de Septara.
Petrus Vicecomes.
Jacobus de Seviſo.
Zucholus de Arengho.
Mafæus Oldonus.
Mafiolus Frota.
Franciſcholus de Carnago.
Johannes Morigia.
Paulus de Archuri.
Parolus de Aliate.
Arolfinus Marcelinus.
Thomaxolus de Ponzo.
Guidotinus de Ponzo.
Mafæus de Caxate.
Mafæus Bruxatus.
Johannolus de Piſſina.
Petrus de Fagnano.
Philippus de Rubiano.
Girardus de Albayrate.
Franzolus de Merate.
Durdus de Merate.
Dominicus Balbus.
Carigiolus Speronus.
Petrus de Modoetia.
Guido Papanus.
Franciſcus de Arengho.
Durandus Prealonus.
Raynaldus Toſchanus.
Ambroxius de Beſutio.
Symon Surdus.
Andreas de Merono.
Jacobus de Hoſtiolo.
Gaſparolus Gambarus.
Mazola Vicinus.
Fidelis Capra.
Raymondus Galazius.
Ughinus Galatius.
Ambroxius Frota.
Beltramus Ferrarius.
Mafæus de Vigonzono.
Jordanus de Serra.
Arnoldus de Eccleſia.
Johannolus de Garbagnate.
Bellonus Doneghus.
Johannes Homodei.
Johanninus Duxerius.
Petrus de Brugora.
Martinus Sellarius.
Paganinus de Pudriano.
Philipolus Boſſius.
Miranotus de Placentia.
Ambroxius de Migloe.
Raynerius de Cinixello.
Facinus de Merate.
Princivalus Prealonus.
Ballionus de Oſnago.
Mazolus de Merate.
Minolus de Concorezio.
Gabriolus de Concorezio.
Franciſcus de Cantono.
Villanus de Cantono.
Laurentius de Pergamo.
Petrolus de Superaqua.
Spinolus Boxonus.
Paronus de Paderno.
Bertolinus de Betonigo.
Ricardus Marinonus.
Galionus Barberius.
Beltramus Ferrarius.
Paganus de Baxilica Petri.
Franzolus Curonus.
Porolus Rubeus.
Antoniolus de Horeno.
Olivolus de Landriano.
Petrus de Landriano.
Johannolus de Puſterla.
Gaſparinus de Modoetia.
Gulielmolus Paganus.
Pelegrus de li Curti.
Johannolus Marchixius.
Baſſanus de Merate.
Bereta de Zuchono.
Miranus Fibiarius.
Rizaldolus Marcellinus.
Roſſinus de Septara.
Lanzalotus Vicecomes.
Balzarotus Burrus.
Simonolus de Porta Romana.
Robinus de Aliate.
Marchus de la Mairola.
Ziriolus de Putheobonello.
Brimolus de Pozolo.
Martinus de Fenegroe.
Ayroldus de Ecclexia.
Ambroxius de Galarate.
Marcolus Prealonus.
Alchioldus de Neſſio.
Guidotus de Arengo.
Antonius de Arengo.
Picola Biffus.
Gaſparus Morigia.
Falchinus de la Mayrola.
Ottorinus Canevexius.
Paulus Mantegatius.
Philippus Damianus.
Paxius de Guenzate.
Georgius Reſta.
Jacobus Balbus.
Rodulfus de Modoetia.
Horiginus Maynerius.
Protaxius de Marnate.
Paulinus Crivellus.
Jacobinus Panigarolla.
Johannollus Capellus.
Aroſtellus Scacabarotius Miles.
Barba Graſſus.
Mayrola de la Mayrola.
Franzolus de Baxilica.
Boctus Canis.
Johannolus Scacabarozius.
Rogerius Caneveſius.
Magiſter Rogerius Medicus.
Johannolus Marzarius.
Zaninus Beaqua.
Minolus Canevixius.
Guidotus de Albiate.
Johanninus de Bimio juriſperitus.
Rogerius de Varixio.
Comellus Taberna.
Mafæus Morigia.
Inorius Vicecomes.
Belolus Crivellus.
Guifredus de Caſtello.
Andriolus de Botto.
Paraxiolus de Arighonibus.
Andreas de Caſtano.
Panzinus de Zibidi.
Venturolus Bolgaronus.
Creſtinus de Lendenate.
Franzius de Vitudono.
Beltramolus de Borſano.

Maſo-

Maſolus de Selvanova.
Ambroxius de Arluno.
Beltramus de Marliano.
Beltramus de Corbetta.
Gratiolus de Mondellis.
Leo de Verano.
Guillielmus de Aurezio.
Paliarius de Prata.
Johannolus de Arluno.
Guillielmus de Maſnago.
Ambroxius de Bollate.
Jacobinus Coldirarius.
Johannolus Reſta.
Antoniolus Reſta.
Arnoldinus de Vitudono.
Thonaxinus de Lampugnano.
Philipolus Scacabarozius.
Petrolus Reſta.
Balzarus Brugius.
Ardigolus de Intuſturre.
Franciſcolus Quareſma.
Petrus Brazabellus.
Laurentius de Buſti.
Bernardus Franciſchus.
Vegius de Arluno.
Paulinus de Serono.
Philippus de Serono.
Balzarus de Brebia.
Hectorolus Damianus.
Johannolus Damianus.
Galeaz de Cixate.
Johannolus de Pioltello.
Maza Axiatus.
Stephanus Doxa.
Limonus de Dayrago.
Johannolus de Villalba.
Franciſcholus de Ghixulfis.
Buſnardus de Mazato.
Johannolus de Ghixulfis.
Bellinus Zotta.
Petrus de Alzate.
Rizaldolus de Cuxani.
Anſelmus Bochardus.
Petrinus de Mayno.
Perotinus Aperlongius.
Faziolus de Ghixulfis.
Girardus de Cropello.
Honrigolus Anrochus.

Algixius de Fagnano.
Maſæus de Populo.
Rugirolus Rubeus.
Papinus Taberna.
Franzinus Mondella.
Bellolus Mondella.
Johannonus de Borſano.
Porinus Anexius.
Galienus de Borſano.
Catelolus Zepus juriſperitus.
Curolus Zepus.
Honrigonus Maynerius.
Suzo Peſtegalla.
Canobinus de Leuco.
Beltramuzius Rochus.
Johannes Mangiagatta.
Philipinus de Olziate.
Oldradus Manus.
Johannelus Mondella.
Jacobus Caſmatus.
Ambroxius de Alzate.
Bonadeus de Putheo.
Rodulfus de Putheo.
Tadiolus de Puteobonello.
Lampugnanus Caimus juriſperitus.
Zuchonus Zotta.
Franciſchus de Subinago.
Ardichus de Alzate.
Maſiolus de Alzate.
Arnoldus Gambarus.
Guido de Caſtiliono.
Zambellus de Hoſtiolo.
Rizardolus Villanus.
Leo de Puſterla.
Jacometus Platus.
Belettus de Caſtelletto.
Borſolus de Caſtelletto.
Guifredinus de Parazo.
Bonazolus Curtus.
Guielmolus Locardus.
Suzo de Puſterla.
Johannes Villanus.
Alcherius de la Cruce.
Girardus Martinonus.
Beltramus Honibene.
Artixius Horumbellus.
Iclivolus Mirabillia.

Mazacharus de Madregnano.
Leo de Madregnano.
Martinus Gillius.
Amorotus Corbus.
Petrus de Brena.
Jacomazius de Terzago.
Galvaneus Martignonus.
Franciſchonus de Arigonibus.
Ambroxolus de Terzago.
Bertola Crivellus.
Rogerius de Medicis.
Carolus Gillius.
Guielmolus de Pado.
Antonius Stumbulatore.
Gabriolus de Putheobonello.
Philipolus Medicus.
Gabriolus Medicus.
Gabriolus Stampa.
Beltramus Stampa.
Johannolus Bellabucha.
Johannes Lantelmolus.
Dominicus de Bernagio.
Gabordolus Mazole de Comite.
Johannolus de Oſenigo.
Albertolus Villanus.
Martinolus de Vicomercate.
Rainaldus Crotus.
Martinus Rabia.
Minatius Prina.
Ambroxius dictus Boſanus Teſſera.
Guarnirolus Hermenzanus.
Georgius Aſcherius.
Antonius de Dugnano.
Rubeus Falchonerius.
Johannolus de Puſterla.
Merlus de Merlis.
Magiſter Beltramus Speronus.
Bonus de la Porta.
Guido Martignonus.
Bulzarus de Pizo.
Araſmolus Stampa.
Raymondus Stampa.

Zano-

Zanonus de Vedano.
Azolus de Albiate.
Ayroldus de Bexana.
Byzolus Cornagia.
Balzarus de Vergiate.
Zuchonus de Comite.
Ardigolus de Cocho.
Niger Colo Colognela.
Petrus Caldera.
Paſſafalzus Medicus.
Mafiolus de Putheobonello.
Niger Cagarana.
Aſtulfus de Lampugnano.
Ambroxius Caxago.
Jacomolus Ferrarius.
Johanninus de Brebia.
Manzinus Graſſellus.
Ottobonus Canis.
Georgius Caymus.
Gavatius Somaruga.
Thomajolus Somaruga.
Thomaxius de Anzano.
Rogiranus Curtus.
Rafaninus Villanus.
Franciſcus Pavarus.
Johannolus de Angleria.
Mazolus Indianus.
Alcherius Litta.
Gullielmus de Lampugnano.
Gyrardus de Vergiate.
Ubertiuus de la Cruce.
Pagionus de Lampugnano.
Lucholus de Puſterla.
Lucholus de Ayngericho.
Antonius Madernus.
Porinus de Birago.
Henricus Canis.
Jacobus de Benzo.
Franzolus Cartarius.
Johannolus Gibeii Cartarii.
Ambroxius de Arminulfis.
Ubizinus de Imbonate.
Guidotus Gazola.
Philipinus Gazola.
Bordiga Maynerius.
Caſparus de Cazo.
Stephanolus de Aplano.
Perotus de Montebreto.
Oghetus de Ayguerio.
Tomaxolus Colionus.
Johannolus de la Stella.
Raynaldus Paſqualis.
Mafæus de Carcano.
Gabriolus Caponus.
Mafæus Gabator.
Orighinus Guercius.
Franceſcholus de Cazeta.
Jacobus de Dotto.
Ambroxius de Niguarda.
Jacobus Boſſius.
Pellixius Buſchinogius.
Petrus de Vertemate.
Bondirolus Zerbus.
Protaxius Baldironus.
Gulielmolus de Cuxano.
Petrus Bigatus.
Caſtellus de Lomatio.
Porrus Zotta.
Gujelmus Donegus.
Protaxius del Bene.
Ardirolus de Beluſcho.
Jacobinus de Archuri.
Thomaxius Arigonus.
Franzolus de Legnano.
Johannes de Cermenate.
Guidotus de Caſſino.
Lanfranconus de Zibidi.
Cararia de Novate.
Guidetus Madernus.
Paris Righonus.
Zaninus de Dergano.
Johannolus Amiconus.
Franciſcolus Squaſſus.
Paganolus Borronus.
Adoardus Zotta.
Cunradus Cazator.
Georgius Scaridus.
Porolus Medicus.
Galeaz Mantegatius.
Caſtellus Biffus.
Ubizolus Biffus.
Aliprandus de Caxate.
Beltramolus de Caxate.
Balzanus Liprandus.
Petrolus de Muzano.
Chriſtophorus de Regnis.
Rizardus de Biffis.
Bertolus de Regnis.
Gabrinus de Menziago.
Samuel de Modoetia.
Cardolus de Solario.
Jacobinus Tanzius.
Zilius Villanus.
Johannolus de Armenulfis.
Bellonus de Aſtano.
Adoardus Sartor.
Salvius de Landriano.
Columbinus de Petraſancta.
Guiſcardus de Petraſancta.
Rolandus de Marliano.
Paganolus Ferrarius.
Miranus de Mozate.
Baruchus Scagniarius.
Johannolus de Gerenzano.
Merlinus de Cazono.
Dominighinus de la Vena.
Gabrinus de Vicomercato juriſperitus.
Philippus de Limidi.
Luchinus de Carate.
Paxinus de Azolo.
Petrinus de Gallarate.
Pariſius Galibaldus.
Andriolus Tinctor.
Rubeus Becharius.
Ambroxius de Meda.
Johannolus de Marliano.
Baſſanus de Marliano.
Philipolus Boſſius.
Razia Coldirarius.
Balzarus de Brebia.
Magiſter Guido de Gallarate.
Thomaxolus Zaconus.
Andriacha de Munti.
Rugerius Scaravagius.
Parinus Scaravagius.
Marcheſinus Scuderius.
Leo de Dugnano juriſperitus.
Rogerius Biffus juriſperitus.
Franciſcus dictus Badeſcus de Mandello.
Carnevarius de Mandello.
Rizardus Liprandus.
Paxinus de Vicomercato.

Beltramus de Laveno.
Minolus de Arigonibus.
Tibaldus de Caymbiſilicha.
Zanonus de Vicomercato.
Philippinus de Noxigia.
Araſimus de Archuri.
Valens Giramus.
Raynerius de Maſſalia.
Petrus Pinctor.
Ambroxius Cotta.
Guidottus de Vicomercato.
Beltramus Oldegrandus.
Laurentius Oldegrandus.
Franciſcus Malcolzatus.
Johannolus de Vicomercato.
Paulus Buttus.
Conradinus de Barnadigio juriſperitus.
Jacobinus de Brioſco.
Minolus de Concoretio.
Albertus Carellus.
Franceſchinus Liprandus juriſperitus.
Marchiolus de Clivio.
Leo de Ferrario.
Lanfranchus de Munti.
Johannolus de Carate.
Beltramus de Becchaloe.
Jacobus Turba.
Florinus de Vegio.
Beltramus de Becchaloe.
Johannolus de Gaydadunis de Mandello.
Lanzia de Laude.
Berolus de Cornate.
Mainfredolus Serazonus juriſperitus.
Zenonus Serazonus.
Philipolus de Beluſcho.
Guillielmus Liprandus.
Tadiolus Liprandus.
Johannolus Amiconus.
Johannolus Arientus.
Johannolus Fetortus.
Johannolus de Brioſcho.
Guillielmus Cotta.
Zoanninus Bottazius.
Johannes de Dugnano.
Conradinus de Rarſana.
Franciſcolus de Coppa.
Franzolus de Ruzinello.
Beltramus Malanocte.
Simonolus Liprandus.
Jacobinus Liprandus.
Franciſcolus de Vicomercato.
Jacobus de Viniano.
Philippus Reoldus,
Petrolus de Barni.
Jacobus de Abiate.
Michael de Florentia.
Graſſus de Boltego.
Stellanus Scaravagius.
Raſminus Recalchadus.
Paxolus de Birago.
Coradolus de Maſſalia.
Franzolus de Arengo.
Beltramus de Merate.
Franciſcolus de Becchaloe.
Jordanus de Modoetia.
Anrigolus de Molteno.
Laurentiolus de Avinio.
Laurentius de Archintis.
Prefilius de Prata.
Galvaneus Mantegatia.
Paganus de Canova.
Ambroſolus Villanus.
Johannolus Imperialis.
Franzolus Medicus.
Magiſter Tiberius Medicus.
Arigolus de Merate.
Franciſcolus Aycardi.
Philipolus Taruffus.
Anrigolus Piſcator.
Jacobinus Burrus.
Petrus de Blaſſono.
Mona de Sarono.
Ambroſius Calegarius.
Ambroſius de Robiate.
Johannolus Villanus.
Miranus Ocha.
Johanninus de Sancto Donino.
Franzolus Petortus.

CAP.

CAP. IX.

Sequens Diſſertatio Germanos quoque, ab eadem Maledicti ſuſpicione eximit, quin èt Ambroſianæ laudis conſortes, & noſtræ ſalutis vindices probat.

1 DE Gallis hactenus. Reſtat, ut pro Germanis etiam, qui ad Parabiacum pro nobis ſtrinxere gladios, nos calamum diſtringamus. Sic ordo rerum poſtulat, ut quum abſtulerim ab occidentali Francia inane maledictum, illud quoque depellam ab Orientali, quæ ipſa ferme Germania eſt; quod a me facile præſtitum iri ſpero, ſi modo evincam perditos eos hoſtes minimè fuiſſe milites Germanici Imperii, ſed errabundos, perfugas, extorres, incerti laris; quales optimæ cuique regioni innaſcuntur, ſed immorari nequeunt diutius, atque ad finitima loca, ceu manis algæ, & excrementa jactantur.

2 Quid ſi etiam probem, Mediolanenſes eam Parabiagi Victoriam, magna ex parte, Germanorum virtuti acceptam retuliſſe? Quid ſi duo proferam teſtes Synchronos, *Johannem Villanum*, & prælaudatum *Flamam*, conſtanter aſſeverantes, alam noſtri equitatus conſtitiſſe ex Teutonico milite ſelectiſſimo; imo èt Germanos quatuor Centuriones, ſeu Tribunos militum, ob rem ſtrenuiſſimè in eo prælio geſtam, equeſtri balteo a Mediolanenſium Principe fuiſſe donatos? En apex Hetruſcæ Hiſtoriæ JOHANNES VILLANUS. Textum ejus utpote obvium cuique, ac ſæpè vulgatum typis, reddam latinis verbis *ex lib. 2. cap. 96.*

3 *Anno* 1338. *in ſuburbiis Vincentiæ conſtiterant equeſtres copiæ, quæ æra Tuſcis militaria, ac Venetis dudum fecerant. Ex his conſcribitur Legio permagna, quam* Lodriſius *Actii re-*

 bellis

bellis cum ſuà, tum Maſtini Scalæ pecunià, conduxit in agrum Mediolanenſem, haud Ligniano procul. Eo nuncio, trepidatum in Vrbe eſt. Quintodecimo Kalendas Martias Luchinus tria equitum, ac decem peditum millia in hoſtem eduxit. Triduo poſt, Lodriſius antelucanà horà, Parabiagum invectus, multa id oppidum cæde fædavit. In eo ſive tumultu, ſive prælio occubuere Lombardi, ac TEUTISCI plures ex peditatu Mediolanenſi: mors inſignis fuit Johannis de Fliſco Januenſium Summatis Viri. Quod ubi ſenſit Luchinus, bipartito exercitu, die Dominico cum MILLE QVINGENTIS GERMANORVM EQVIS, ad pugnam provolat. Hector cum ſeptingentis Italis, prædæ cuſtodes adortus (hi quingenti hoſtium erant equites, Parabiagi in portis relicti) impetu fundit, fugatque. Collatis ſignis, ferox ultra meridiem certamen ſæviit. Luchino Duce capto, conjecti in fugam Inſubres quàquà trucidantur. Perditis rebus ſuccurrit Hector, cum victrici Italienſium cohorte, exultantemque hoſtem, prout quemque ardor inſequendi fugientes proripuerat, aggreſſus cædit: Luchinum exſolvit: Lodriſium capit: campo, caſtriſque hoſtium potitur: magnam vim prædæ ad Vrbem vehit.

4 Quanto nobis uſui, & adjumento fuerit Germanica ea phalanx, quam ad ſubditos caſus paratam præ ſe Luchinus quàquà ductabat, nos commonet *Flama* Doctiſſimo Muratorio tanti habitus in hac parte, ut nemo pluris. Recita ex Tomo XII. Rer. Italic. fol. 1026. perpauca verba prolixiorem Germanicæ virtutis cumulatura laudem. *In hujuſmodi pugna factus fuit Eques accinctus, Matthæus Vicecomes junior Magni Matthæi abiaticus, & Johannes Scacabarozius, Reginaldus de Aſſandris Mantuanus, & tres Teutonici, & Sfoſcus de Melich Teutonicus.*

CAP.

CAP. X.

Prodit altera Scriptorum claſſis; qui litteris Italicis rem eandem perhibent.

1 LAtinis Scriptoribus, quos hactenus in medium eduxi, barbara utvis ſtribligine aſperis, alteram jungo, & in ſuffragium advoco Synchronicorum centuriam, qui ſtylo in re eadem compingenda Italico, ſeu potiùs vernaculo ſunt uſi. At ne cui forte alienigenæ, vetus Italica locutio planè exotica negotium faciat, papyro haud parcam, quominus hoc, quo Doctos alloqui decet latino idiomate, reddam ſingula.

2 Ac primum tibi Auctorem ſiſto, qui, ſi reliqui pereant omnes, evincendæ unus huic cauſſæ affatim virium ſuggerat. PISTORIENSEM ANNALISTAM dico, quem in arce Italicæ Hiſtoriæ Tom. XI. fol. 476. collocavit *Muratorius* pro coronide ponendus ipſe. Ex hoc Piſtorienſi, lumen nobis ſuppetit quoddam incompertum apud omnes, DELPHINUM Viennenſis Provinciæ Dominum, eo anno 1339. Actio Vicecomiti ſuppetias veniſſe. Reminiſcerisne id, quod ex Oderico Raynaldo paulo ante diximus, eodem anno 1339. *Delfinum* eundem, Regi Francorum *Philippo* ſubveniſſe pecunia, & milite? Nè verò ille tam demens, ut hoc fecerit, aut nos tam fatui, ut hoc fieri potuiſſe putemus, ut uno tempore, idem Princeps, duobus militaret inter ſe pugnantibus, atque adeo in ſe pugnaret ipſe? Nullus ergo ambigendi locus, quin Franci tum Mediolanenſibus forent amiciſſimi. *Delphinus* idem, paucis pòſt menſibus, *Philippo* eidem Regi Francorum, dono attribuit Viennenſem Provinciam, hac lege, ut ejus in poſterum natu primus, nomen Delphini geſtaret: hæc ad annum 1340. perhibent Theodorus Hoepingius Cap.

VI. fol. 438. Paulus Æmilius Lib. VI. in Joannem, Sanmartani Tom. II. fol. 605.

Ex Piſtorienſi Tom. XI. Rer. Ital. fol. 476.

3 *FAtta la pace trai Fiorentini, e Veniziani da una parte, e Meſſere Maſtino dall' altra, Meſſer Maſtino ſi propoſe di disfare Meſſer Azzo de Viſconti de Melano. Meſſer Maſtino aſſoldò due mila* Tedeſchi, *e diede loro Fiorini quattro per cavallo, e ciò che guadagnaſſero fuſſe per loro. Meſſere Lodrigo con trè mila cavalli, e quattro mila pedoni cavalcò sù quello de Melano, e ſi approſſimarono alla Città, danneggiando, quanto poteano. Vedendoſi Meſſer Azzo così ſtretto, richieſe lo Conte di Savoja ſuo Socero, e Mantovani, e Bologneſi, che lo ajutaſſero da tanto oltraggio. Lo Conte di Savoja v'andò egli in perſona, con aſſai gente. Il DELFINO DI VIENNA GLI MANDO' GENTE. Quando Meſſer Azzo ſi vide fornito di gente, mandò Meſſer Luchino, lo Conte di Savoja, e Meſſer Gioanni de Celona con tutto ſuo sforzo da Melano preſſo i nimici. Quivi ſi cominciò una dura, e crudele battaglia, nella quale Meſſer Luchino, il Conte, e Meſſer Toro* (ò ſia Ettore) *da Panago, ed altri gentiliuomini vedendoſi rotti, ſi rifecero, e riſpinſonſi verſo la Compagnia de Tedeſchi, e quella cacciarono al fiume Adda; e quivi ogni uomo fue fermo, perchè il Fiume era groſſo; e certi per campare, ſi gettarono in el fiume. Gli altri alla riva combatterono in fine a notte, e la Compagnia vi fue disfatta dalla gente di Meſſer Azzo. Vi morirono più ottomila uomini trà da cavallo, e da piè. Queſto intervenne, perchè erano trà due grandi fiumi Ticino, e l'Adda. La ſconfitta fue in Domenica al dì* 21. *di Febbrajo* 1339. *Meſſer Luchino, e il Conte di Savoja con la brigata ritornarono a Melano, e menarono i prigioni con gran feſta.*

VER-

VERSIO LATINA.

„ 3 BEllo functus, quod in Venetos geſſerat, ac He-„ truſcos, *Canis Scala*, obfirmato ſibi animo oppu-„ gnandi Vicecomites, quoad Mediolani ditione everteren-„ tur, comparat Teutiſcorum duo millia, quaternos vi-„ ritim florenos pactus, ac quicquid præ ſe convectarent „ manubiarum, ac prædæ. Loderiſius in agrum Medio-„ lanenſem cum tribus equitum, ac peditum quatuor mil-„ libus invadit: urendo, populandoque latè agros, ſtragem „ frugum, & incendia villarum profert in conſpectum „ Urbis. Malis hiſce anxius Vicecomes Comiti Allobro-„ gum Socero ſuo, Mantuanis, Bononienſibus, petitum mi-„ ſit opem inſtanti exitio. Nec mora: Socer ſuppetias „ venit ipſe cum expedita militum manu. Neque deſunt „ auxiliares DELPHINI Viennenſis copiæ; queis ubi ſe „ inſtructum ſenſit Azo, aggredi rem parat.

„ Luchinus, atque Allobrox, cum Johanne à Celona „ toto conatu in hoſtem ducunt: ibi pugna conſeritur pa-„ ri utrinque vi animorum: mox nutantes ſuos, ac pro-„ pè fugam ſpectantes, quum cernerent prælaudati Duces, „ unàque Hector Panicus, & alii Bellatores impigrè con-„ nixi reſtituunt aciem; ac denuò impreſſione facta, Teu-„ tonum agmen ad uſque Abduæ crepidinem urgent. Ibi „ fuga ſtetit; paucis profunda amnis vada nequicquam „ tentare auſis, cæteri circa ripas extremùm dimicantes ca-„ dunt. Sub noctem tota procubuit hoſtilis acies: cæſi plu-„ res octo millibus; quam internecionem ipſa edidit angu-„ ſtia loci, duos inter ingentes fluvios Ticinum, Abduam-„ que. Pugnatum eſt die Dominico, nono Kalendas Mar-„ tias anno CIↃ. CCC. XXX. IX. Ovantes copias reduxe-„ re in Urbem Luchinus, ac Comes Allobrogum. -- Hac-tenus ex Piſtorienſi.

4 Ut animos tædio elevem tot narratiuncularum, ſemper idem ingerentium ad ſatietatem, & ad ſtomachum, de-

libanda

libanda quædam ſunt carmina duræ quidem , & aures ſcalpurientis muſæ , haud tamen jucundæ minùs , ac ſcabritie ipſa delectabilis . Quinam ſit iſte bonus verſificator , quove Seculo effloruerit, docet Præfatio *Petri Johannis Stephani , Canonici Ticinenſis* , ad Lectorem . Habetur opuſculum hoc in Bibliotheca Ambroſiana cuſum typis Philippi Mantegatii , cognomento *El Caſſano , in la EXCELLENTISSIMA Cittade de Milano nell' anno* 1492. *a di primo Aprile* . Preliminaris epiſtolii hæc ſumma eſt : ſibi ad manus obveniſſe Opuſculum quoddam Magnifici Equitis , & Ducalis aulæ Conſiliarii D. GASPARIS VICECOMITIS, millena ſe exempli ejuſdem volumina imprimenda curaſſe, ut culti , eruditique homines tantundem legendo caperent, quantum ipſe prælibaverat voluptatis . In fronte ſubſequentis paginæ eminet Dedicatio . *A lo Illuſtriſſimo , & Excellentiſſimo Domino ſuo Colentiſſimo de lui humillimo Servitore Gaſpar Viſconti* . Ad calcem inſtar fimbriæ, adſuta in laudem Vicecomitis Poetæ, latina quinque elogia auctores ſuos æquè laudant, Cæſarem Saccum Laudenſem , Petrum Patium Florentinum , Bernardinum Æmilium Novarienſem , Stephanum Campanam , & Paulum Lanterium Viglebanenſem Præpoſitum . Totum poema ſub tit. De PAOLO , e DARIA , octo Cantibus terminatur. Præmiſſa, ut vatum moris eſt , invocatione ad Ludovicum Sfortiatem , retrò excurrit ſermo ad Luchinum, ac Johannem Vicecomites , eorumque ſpurium quendam Fratrem ſic .

GASPAR VICECOMES.

5 *Dopo la morte d'AZO di Viſconti*

Janne , e Luchin ſignoreggiar Milano &c.

Queſti hebbero uno in ogni virtute idonio ,

Per fratel naturale , ovver baſtardo ,

Che

Che fù da tutti nominato ANTONIO,
E valſe aſſai di ſenno, e fù gagliardo,
Parve coſtui un sfrenato Demonio;
Tanto che tolſe ai Barbari el ſtendardo,
E del Todeſco *ſangue fè gran lago,*
In la crudel battaglia a Parabiago.

Era Antonio venuto in volto macro,
Pallido, e pien d'affanni, e de afflictione;
Tanto era il ſuo dolor intenſo, & acro,
Temendo reſtar ſenza ſucceſſione.
Laonde un giorno, avanti al Simolacro
Del Divo AMBROSIO fè queſta orazione;
E con parlar d'aſſai ſingulti rotto,
Incominciò, come è ſcripto quì ſotto.

Non è baſtante à dir noſtra eloquentia
Ne la mia lingua balbuziente, e inferma
Di te DOCTOR VIRGINEO, la excellentia,
Che ſei di noſtra fè colonna ferma.
In Levante appareſte, & in Florentia, (a) *&c.*
Et appareſte ancor per farne grazia,
D'aver Santo Aleſſandro da Dalmazia.

Tù

(a) *De bujuſmodi Apparitionibus vide* Triſt. Calchum *Lib.* 3. *ad ann.* 404. Corium *in Vita Juſtiniani Cæſaris*. Landulfum Seniorem *inſert. Tom.* 4. *Rer. Ital. Lib.* 2. *cap.* 26. Placidum Pucinelium *Zodiac. in S. Ambrogio*, & *nos infrà cap. XI.*

Tù in vita, e dopo morte non moſtraſti,
D'aver ſcordato il tuo Milan devoto;
Mà ſempre a' prieghi tuoi sì ardenti, e caſti
A pietà di noi ſi è Dio commoſto.
Et hor novellamente contraſtaſti
Come a' noſtri occhj fù paleſe, e noto,
Con la TEDESCA orrenda iniqua Furia,
Che al noſtro ſangue far volea ingiuria.

A PARABIAGO, rotto il noſtro Campo
Era, e già perſo il mio Fratel Luchino;
E la nemica ſchiera fea tal vampo,
Che ognun di noi à morte era vicino.
Viſibilmente in l'aria deſte un lampo,
Col camiſotto bianco, e con tal sferza,
Che alcun non reſſe alla percoſſa terza.

La ſchiera di que' Barbari nemici
Subitamente fù converſa in volta.
Tu correndo per l'aria à briglia ſciolta &c.

VERSIO LATINA.

ACTIUS ut fato ceſſit correptus acerbo,
Sceptra capit, ſocio imperii ſibi fratre, Johannes
Luchino. Fuit hiſce ignoto è fornice quidam,

Qui

Qui ſe germanâ fratrem virtute probavit,
ANTONIUS. Frontem olli, animumque armabat Erinnys.
Hoſtibus is rapuit ſignum, Helveticoque cruore,
Arva Parabiagi latè conſperſit. At hei mi!
Quæ nova ſurrepſit macies? Quàm ſæva ſub alto
Cura ſinu latitans, fortes depaſcitur artus?
Scilicet in ſterili thalamo ſpes nulla nepotum,
Qui vitam poſt fata ſeni producere certent.

Ergo ante AMBROSII ſimulacrum obvolvitur æger,
Illachrymanſque pio tales dedit ore querelas.
DOCTOR VIRGINEE! eccui par facundia linguæ,
Ut tua facta queat, modulato pangere cantu?
Tu fidei noſtræ columen: Tu ſydus Eois
Fulſiſti quondam populis: Tua Numina laudat
Umber, & inſpectum te victor Dalmata adorat;
Unde & Alexandri gaudemus pignore ſancto.
Te licèt advectum Superis, pia cura ſecuta eſt
Noſtri. Proh quantis patuit tua gratia ſignis!
Teſtis ego hiſce oculis, quàm forti pectore, & armis,
Adſtiteris cœlo contra Eumenides, Furiaſque,
Rhætia quas noſtræ perverſa immiſerat Urbi.

Corruerat jam noſtra acies attrita, meumque
Victores fratrem Luchinum in vincla trahebant.

Tum velut avulſum ſublimi ex æthere fulmen,
DIVE PARENS, induſio in albo, præcipitique
Vectus equo, horrendùm frendens ſuper agmina latè,
Viſus es exagitare flagellum, ac ſpargere cladem.
Mox ſonipes leni flexu converſus habenæ,
Sydereum relegens iter, alto abſconditur axe.

6 BARTHOLOMÆUS DE LA PUGLIOLA Bononienſis, Tomo Decimoctavo *Rer. Ital. fol.* 376. hæc habet. *Meſſer Lodriſe fece una grande Compagnia di TEDESCHI. Dall' altra parte Meſſer Azzo &c.*

7 GASPAR SUARDUS in Chronicis Ferrarienſium, ubi ad annum 1339., fortia delibat facta Brandeliſii Marani, hæc ſubdit. *In queſto tempo Lodriſio, con molti TEDESCHI, cavalcò nel Milaneſe, per ſcacciarne Azo &c.*

8 JOANNES BAPTISTA PIGNA, in Hiſtoria Principum Eſtenſium edita anno 1570. *Obizo Signor di Ferrara avviſato da Azo, che Lodriſio con una banda di TEDESCHI, aſpirava al Principato di Milano, in un luogo della Campagna di Milano detto Parabiago &c.*

9 BERNARDINUS CORIUS, ad annum 1339. ſuaviter, ac fusè recantat idem, quod ego jam tædio victus præproperè attingam. *Luchino pervenne à Nerviano milli paſſi da Parabiago diſtante, per ſcontrare il nimico, che con molti TEUTONICI, ed altri di Lombardia &c. Fù affermato in quella battaglia eſſere da ognuno veduto S. Ambrogio, con una ſcuriata in mano, percuotere gli infenſiſſimi nimici. Dove fù la rotta, diedero principio all' edificazione di un Tempio nominato S. Ambrogio della Vittoria.*

Sed jam clariora hæc ſunt, quàm ut cuiquam verti in dubium queant. Reſtat id, quod me vehementiùs ſollicitat, ut ex innumeris Nationibus Teutiſco, ſeu Germanico eodem genere involutis ſecernam eas, quæ tanti fuere flagitii funtes.

CAP.

CAP. XI.

Tertia adducitur Scriptorum Centuria perſpicuè declarantium maledictos eos Teutones potiſſimùm erupiſſe ex Helvetia.

1 REcolo hactenus dicta . Primùm ex ſinceris Miſſalium , ac Lapidum teſtimoniis evicimus , eos hoſtes de genere Gallorum fuiſſe . Et quoniam Gallicanum genus conſtat plurimis partibus ; ideo admota face hiſtorica , eoſdem perſpeximus conſurrexiſſe partim ex hac Citeriore Gallia *Canomanos* , *Orobios* , *Inſubres* : partim ex Tranſalpina , nempe *Alemanos* , *Teutiſcos* , *Theutones* , quos Germania includit Gallobelgiæ incluſa finibus . Quoniam verò Germania èt ipſa , ſecundum tabulas geographiæ , ſtat loco generis *Subalterni* , cui permultæ inſunt partes , nempe *Helvetii* , *Briſcovii* , *Palatini* , aliique , quos Cap. IV. innuebam ; iccirco inveſtigandum eſt , quinam ex Germanorum tanto numero vapularint Ambroſianà ſcuticà , & adhuc probro vapulent, metuque .

2 Ecce autem Scriptores quinque , *Jovium* , *Merulam* , *Cavitellum* , *Pucinellum* , *Raphaelem* . Hi ferme reliquos omnes abſolvunt ; iraſque omnes , furiaſque in alpeſtria Rhætorum , & Helvetiorum juga conjiciunt . *GAUDENTIUS MERULA de Antiquis Sedibus Gallorum Inſubrum* Lib. 1. Cap. 5. *Parabiagum* , inquit , *Mediolanenſium victoria in HELVETIOS , Divo Ambroſio favente illuſtravit* ; *vicus genialis gratia , & ruralis amænitatis non expers* . Circumjacentium hanc villarum caput , ſive , ut appellant Græci , Metrocomiam fuiſſe probat ſacra Præfectura cum myſtarum collegio, anno iſthinc 1584., Lignianum tranſpoſita . Præditum titulo *Comitatus* , pagum hunc Otho Imperator (a) Ambroſiano Præſuli addixit anno

 961.

(a) *Carolus Sigonius de Reg. Ital. Lib. 4.*

961. Vico eidem ſunt ornamento non mediocri campeſtres Cribellorum deliciæ, opuſculo integro *Hieronymi Raphaelis* commendatæ. Ad inſtituta redeamus.

3 LUDOVICUS CAVITELLUS in Chronicis Cremonenſibus Tom. III. Georgii Grævii Theſaur. Hiſtor. Ital. fol. 1369. *Azo Vicecomes juſſit Mediolanum muniri centum turribus, & factâ Curiâ in arena, & juxta ibi erecto alio templo in honorem Divi Gothardi &c. Anno ſecuto 1338. debellavit Lodriſium, dum coacto in eum exercitu HELVETIORUM, & RHETORUM moviſſet bellum die xxi. Februarii ad Parabiagum, ſeu Nervianum, & victoria inclinante in Lodriſium, & ſuperventâ in auxilium alà equitum Ludovici Comitis Sabaudiæ Soceri Azonis ſub Hectore Panico, & viſo mirabiliter Divo AMBROSIO equeſtre, aciem Luchini præcedere cum flagello in manu &c.*

4 PAULUS JOVIUS, Epiſcopus Nucerienſis, in Vita Actii Vicecomitis fol. 80. „ Correptus vetere inſania Leodericus „ ad Franchinum Ruſcam Comenſium tyrannum, mox ad „ Maſtinum Veronam contendit; conductiſque Rhetorum, & „ Helvetiorum cohortibus, & Germanis equitibus, magnaque „ manu exulum &c. confederat ad Nervianum vicum, duo- „ decimo ab Urbe lapide. Verùm irruente Luchino, prima „ Leoderiſii acies ſternitur. Sed ex adverſo Rheti, Germa- „ nique more ſuo conglobati ſecundum impetum excipiunt, „ Luchinique equitatum primis cæſis, intemperanter prove- „ ctum vehementer urgent: multi utrinque cadunt: cruen- „ tum, & atrox undique prælium editur. Cæterùm Actianis „ ægrè ſuſtinentibus, & jam planè profligatis, Luchinus ipſe „ dum reparare perculſam aciem ingenti animo contendit, in- „ terfecto equo, Helvetiorum ſecuribus ſternitur, & capitur. „ Tum verò Barbari clamorem attollunt, & legionem In- „ ſubrum, armis, animiſque imparem adoriuntur; tantâque „ vi Placentinas cohortes propellunt, ut Dondonico Mal- „ vicino viro fortiſſimo, Lancilotoque Anguiſola ducibus „ interfectis, univerſa acies fugam reſpiceret, niſi D. AM- „ BROSIUS, Mediolanenſium tutelare Numen in nube, eque-

ſtri

„ ſtri effigie à multis conſpectus, recentis auxilii opem „ tuliſſet. Supervenit enim Hector Panicus cum ala cataphra„ ctorum Allobrogum à Ludovico Sabaudo Actii ſocero „ tranſmiſſa. Hæc Rhetos intempeſtivè ſolutis ordinibus exul„ tantes protrivit. Eo die interfecta ſupra quatuor millia „ hominum; ſed minus lætam Luchino victoriam fecit Joan„ nes Fliſcus Tuſcæ uxoris frater, Ligurum Præfectus, qui „ in prima acie ceciderat &c. In eo autem campo, ubi pu„ gnatum eſt inter Parabiagum, & Nervianum, Templum „ D. Ambroſio votum ad rei geſtæ memoriam &c. In eo tem„ plo ad lævam ſpectatur effigies Hectoris Panicii cum ar„ mata Allobrogum alà, perditis rebus opem ferentis; quod „ facilè dignoſcitur, cum in purpureis equitum laciniis, albæ „ Cruces Sabaudini Principis inſignia dignoſcantur „ Hæc Jovius.

5 Mox quæ ſubjungam, ad intelligendum conducunt, quantò frequentior Svitiorum eſſet per eos dies, quàm cæterorum Teutonum irruptio in Italiam. Simul etiam recognoſces, quàm ſapienter, quàm eruditè ſoleant iidem Svitii modò Galli in libris myſticis, modò Teutones, Germanique in hiſtoricis appellari. Volaterranus lib. 7. *Helvetii*, inquit, *fortiſſimi Gallorum populi*. Et infra. *Helvetii nuper Germanicum nomen infamaverunt*, *prodito apud Novariam Ludovico Mediolani Duce*, *quem ei militantes*, *hoſti tradiderunt*. Viden'? Helvetii primùm accenſentur inter Gallos: mox ad Germanicum nomen referuntur; haud aliter nos Mediolanenſes verbis ſynonymis, modò Itali, modò Lombardi nominamur, ac ſumus; ut enim Lombardiam continet Italia, Mediolanum continentem; ita èt Germaniam complectitur Gallia, complectentem Helvetios.

6 Atque hæc bibulis utinam auribus, accipiant ii, quos identidem audio, Miſſæ contra Gallos inſcriptæ ſubiratos, ac ſpongiam minantes mendoſæ velut, ac fallaci. Norint, quam probè hiſtoriam ſimul, ac geographiam calleret ejus Præfationis Auctor, qui una Gallorum enunciatione Svitenſes, atque Italos eſt complexus. Eo certè anno 1339. Svi-

tiis,

tiis, ſeu Helvetiis cum reliqua Germania, commune erat nihil, præter nomen. Tantum quinimo Germani diffidebant ab Helvetiis, ut nullum haberent hoſtem, iiſdem graviorem. Colligit *Struvius* ex coævis *Tom. 2. Diſſert.* 26. *pag.* 835., ſicut Leopoldus Auſtriæ Dux, electi Imperatoris frater, poſt captam Solodunum Urbem, victor ab Svitiis perduellibus interceptus improbè, fædáque ad pagum Underwaldenſem affectus clade eſt; quà auditâ confeſtim Bavaro, Noribergæ comitia rebellium eorundem celebrante *Auſtriæ Principes, læſæ majeſtatis damnantur, ipſorum bona in Pagis Helveticis Imperio addicuntur: Pagorum libertas confirmatur*. Theutonicum ergo Imperium jam excuſſerant Svitii: ita ſanè.

7 Anno 1313., (verba hæc ſunt in ſcholiis ad Cornelium Tacitum loco mox notando) *Helvetii, excuſſo Germanorum jugo, ſublatis Præfectis, ſeſe in libertatem vindicarunt*. Rem fusè retexuit Franciſcus Scotus. Ante annum 1308. Helvetia ferme tota parebat Auſtriæ Ducibus: gens inquies, & refractaria quum paulo preſſiore habena regeretur, Alberto Auſtriaco Rodulfi Cæſaris filio rebellavit: Pagus *Suiz*, ubi primum erigi ſignum libertatis cæpit, Svitienſibus nomen cunctis indidit.

Anteſignani perduellionis fuere Svitii, Urii, Wndervaldii. Ad hos acceſſére Lucernates anno 1332., ac ſubinde Tigurini, Glaronenſes, Tugii, Bernátes, Friburgenſes cum Salodunis, Baſilienſes, Scaphusini, ac demum Abatiſcenſes. Treſdecim his populis (*Cantones* vocant) coaluit Helvetiorum Reſpublica Germanico Imperio avulſa; quacum æternum icére fœdus Rheti, immites olim animæ, *quos*, teſte Livio Dec. 1. Lib. 5. cap. 19., *loca ipſa efferarunt*. Tota regio inhorret aſperis cacuminibus adeo, ut ille Francorum Legatus negaret, ſe aliud vidiſſe quicquam apud Rhetos (a), *præter valles miſeriarum, ac ſuperbiæ montes*.

8 Ea Viris aptior gignendis regio, quàm alendis dira eſurigine findente coſtas, aliô demigrare jubet homines; & quò ferox, & iners natura ducit, bella indiſcriminatim ſequi filios,

(a) Ferrarius in Lexic. verb. *Rheti*;

filios, ac parentes ſub contraria ſæpè ſigna, niſi quod abeſt parricidii metus. De his enucleatè ibidem in notis ad C. Tacitum, *De ſitu, ac moribus Germanorum*. Crebræ hinc in Italiam irruptiones eorum præſertim, qui convalles Adulæ (mons eſt Gothardo ſacer) obtinent loca frigentis, ac lapidoſæ glebæ, æſtivo gelu damnata. Ambrónes illi, Romano toties bello petiti, Bernam modò accolunt, ac Friburgum, vivere olim rapto aſſueti; *Sexto* enim *Pomponio*, Ambrones idem, quod prædones ſonant. Patriis quondam tectis, ne qua redeundi unquam ſpes rediret, ſpontè concrematis, tercenta millia cum conjugibus, ac liberis demigravere in hæc plana; quos Cæſar, ut idem ſcribit *de Bello Gallico*, acie fractos retudit in nativos ſaltus, putavitque ſupplicio ſatis, ſi quid exilio pejus apud inviſos penates ferrent.

9 Quievére tamen nunquam, ùt qui in ſicca ſtans, editáque rupe, latè manantes proſpectat uberrimos latices. Subjectus oculis ex proximo pinguis ager Inſubrum, eos identidem excivit illapſu facili, ac prono. Miſſa faciam antiquiora: ipſam ad rem venio. Flamma Tom. XII. Rer. Ital. fol. 1134. *illi*, inquit, *de Ruſconibus, contra dominium Vicecomitum ſe erigentes ad caſtrum de Belinzona, invocantes Ludovici Bavariæ auxilium, crediderunt totam Lombardiam, Theutonicorum jugo ſupponere*, jugo nempe Helvetiorum, Bilinzionæ affinium Caſtro: quos improba Ludovicus libertate abuti juſſerat, incitabatque in Auſtriacos vehementiùs.

10 Antequam aggrediar majora, ſuus eſt cuique honos Genti deferendus. Præter jam dicta Cap. 5. num. 19. communia Rhetis, Helvetiiſque præconia, hoc etiam maturè ſubdimus, eorum indolem jugi commercio, & humanis ita delinitam diſciplinis, ac denuò efformatam eſſe, ut Alpeſtrium ejuſmodi civile regimen Populorum, ipſi non abſque laude ſuſpiciant Itali. Suis enim modò contenti finibus, juſtitiam inſigniter colunt; & cum ſua jura tutantur impigrè, tum ne lædant aliena, religioſiùs cavent; quo fit, ut diutinæ pacis bono congaudeant. Neque interea militiam negligunt,

gligunt, alieno tamen impendio, ex unaquaque extera, cui militant, natione, quicquid bellicæ artis optimum ſit, ad tutelam Patriæ in tempore collaturi. Ideo ipſi paucos milites alunt. Præfecturas Italicas, frontemque ditionis Helveticæ apertam, & inermem uno juſtitiæ propugnaculo tegentes, fida ſuorum pectora pro muris habent. Quanta apud eos fœderum ſanctitas? Quæ fides in privatis etiam negotiis? Quàm ſobria vitæ ratio, queis vix nomen luxus innotuit, ipſo muliebri ingenio maſculum robur imitante? Quo plus æri parcunt ſuo, eo minùs onerantur alieno. Gregis, ac paterni ruris cura, cenſuſque mediocris, qui nec paucorum luxuriam, nec plurium inopiam creet: Aurei demum, ac priſci mores, qui tantopere ab exteris laudantur, modò apud ipſos florent. Æquitas cuncta moderatur. Nulla in viis graſſatorum moleſtia: nulla domi Regulorum vis: exagogica, ac cætera vectigalia tanto leviora ſunt, quanto pacatæ Reipublicæ minùs neceſſaria. Obſtat pluribi cœlum immitius, ac duritas glebæ, ne eorum ſors invidiæ ſit; quod ipſum facit, ut ſint tutiores.

11 Infrenandis ergo olim crebris alpinarum hujuſmodi gentium aſſultibus, cum ſpeculæ, munitioneſque Lucano innumeræ, Larioque lacubus: tum geminæ ad fauces Verbani, impoſitæ quondam arces Arona, Angleriaque. Hæc (a) ſacræ, ac civilis Præfecturæ ampla ſedes juri utrique dicundo præerat ad uſque radices Adulæ. Utraque demum arx ad BORROMÆOS COMITES præmio obvénit: quorum qui duo maximè inclyti Helvetico bellò memorantur Duces Joannes Secundus, ac Gibertus Primus (b) FRENUM, quod Sedúnis, ac Svitenſibus injecerant, ſuo intulére Borromidum ſtemmati. His, & aliis domi, militiæque editis operibus, quorum illud verè divinum, quod ære preſſam alieno Patriam redemerint, ipſorum etiam conjugio Principum Vicecomitum adauctos, ſummis certatim honoribus Galli ſubinde, &

(a) Gaudentius Merula *de Antiq. Sedib. Gallor. Ciſalp. Lib.* 1. *cap.* 5. Alciatus de Formul. Roman. Imper. pag. 31.

(b) Serenius *Stem. Borromæ. pag.* 520. Cori. ad an. 1487.

& Auſtriaci cumularunt. Nam præterquamquod Arona Divo CAROLO natalitia ſedes futura, Angleriaque ei proxima, duo, ut dixi Helveticarum gentium repagula Borromæis ad regendum traditæ perpetuò ſunt, eiſdemque privilegio inuſitato, Prætoriani XL. milites attributi; ipſe Galliarum Rex Franciſcus I. Borromæum infantem in legatione Patris, apud ſe in Gallia natum, de ſuo *Franciſcum* nomine, appellari voluit, & cum Regia ſobole educari. Sed me nimiùm abripit grati vis animi erga Bibliothecæ noſtræ Conditores: quorum munere eſt factum, ut ipſa hæc ſcribere potuerim. Trahor èt admiratione Dominæ meæ Excellentiſſimæ CLELIÆ; quæ ſtudioſos literarum ùt filios alit, ac fovet. Me etiam tua rapit virtus eximia, JOANNES BORROMÆE, cujus moderatione jam Sedúni fortiùs, quàm Avorum tuorum gladio devicti, Patronum Te publicis litteris appellant ſuum.

12 Progredior ad alias Svitenſium incurſiones ſubinde, ac ſine fine recenſendas. Cavitellus ad annum 1512., *Svitiorum*, inquit, *octo millia irruperunt Ducatum Mediol.*, *& occupato Ponte Triſiæ*, in Lucano lacu, *illinc expulſis ſexcentum pedeſtribus Gallicis*, *firmaverant caſtra ad Vareſium*. Anno 1515. iidem Svitii in ſpeciem ferendæ opis Maximiliano Sfortiæ, qui Ludovico jam ſucceſſerat ad Novariam prodito, ipſum prodidere flagitio non abſimili. Nam quum hoſtis pulſaret muros, obſidereturque Dux, *Helvetii poſtero die*, *inſita animi levitate*, *deſertis ſignis*, *Urbe Mediolano egreſſi ſunt*, *ac domos ſuas abierunt*: hæc Johannes Villanova Tom. III. editionis Grævianæ fol. 926. At utinam abiiſſent rectâ! Inter eos tumultus, dum modò capto, modò intercluſo Principe, peſſum irent omnia, Rheti poſt varias concertationes, Vallem Tellinam, quæ maximè opìma eſt, ac plurimis centum pagis conſtat, ad ſexaginta milliaria protenſam, Bormienſem quoque, ac Clavennatenſem duos Comitatus, vicis frequentibus conſitos obtinuere, & adhuc tenent; Helvetiis interim parte altera indeptis Præfecturas quatuor Italicas Lucanenſem, Mendriſianam, Locarnenſem, ac Madianam. De his *Franciſcus Scotus*, *Joſias Simlerus*, aliique fuſiùs. Ditio inde Mediolanenſis, cui limes

erat Adula, ſeu Mons Sancti Gothardi, retro ad centum milliaria ceſſit Helveticæ Dominationi in medullas Inſubrum invectæ. Hinc dignoſce, quæ tum ſolemnes, ac propè annuæ Svitiorum in Italiam deſcenſiones forent. Modò iis obſtant non tam æneæ belli, ignivomæque ingentes machinæ, haud faciles tractu, per Adulæ præruptos ſaltus, quàm AUSTRIACA Dominatio minimè egens extranei militis, haud raró in ſpeciem auxilii, perniciem ferentis.

13 Sed ut revertar ad ævum Azoni proximius, ea vitio minùs hominum videtur, quàm temporum vertenda calamitas. Ejus namque bellicoſæ tempeſtatis hæc conditio erat, ut exteri æquè, ac noſtrates Galli prædæ, ac ſanguini aſſueti, ſi qua armorum intercapedo fieret, ad id, quod bello eſt affine, deſidibuſque, & egenis pronum converſi, latrocinia exercerent, ac demum pejus quodvis auſi, in perduellionem erumperent. Nullum de his Scriptorem Galvaneo, cui præ oculis ipſæ res fuerunt, potiorem habeo. Tomo XII. Script. Ital. fol. 1031., de Azone loquens, *iſto*, inquit, *tempore in Italia congregati ſunt viri peſtiferi ex partibus Alemaniæ, Italiæ, Tuſciæ, qui dicti ſunt SOCIETAS, homines abſque jugo, abſque rege, abſque lege: viventes de rapinis: nulli parcentes ætati: docti ad omne ſcelus: civitates, & caſtella obſidentes.*

14 De hac ſocietate lubet ex Cortuſio repetere Tom. XII. Script. Ital. fol. 899. *Appellatur Societas Sancti Georgii: proh dolor! Sanctum nomen a prædonibus, raptoribus, adulteris, ac furibus hodie uſurpatur.* Hoſce latrones, ac ſicarios ut arguam concreviſſe ex Helvetiis, Seviſque finitimis facit textus Felicis Fabri Ulmenſis Monachi (a) *Vexillum nominant Sancti Georgii, ſub quo Svevi pugnare ſolent ab antiquiſſima conſuetudine, & non ſolùm in partibus Sveviæ, ſed in univerſa Chriſtianitate, Svevi præcedunt cunctos debellatores, primam tenent aciem, cum S. Georgii vexillo*: hæc ille tumultum excuſans Svevorum, queis Auſtriæ Dux Albertus parùm fidens, ſecundam aciem adſignaverat, rem geſturus contra Helvetios, Svevis nimiùm proximos. Et poſt pauca, idem Faber fol. 54., ad

(a) *Ab Schilter. inſert. Theſau. Antiquit. Teutonic. Tom. 2. fol. 54.*

ad cælum evehit immortale Alberti ejuſdem factum; qui ex rumore quum accepiſſet Baſiléam Urbem jampridem ad Svitios trahentem res, igne ex aris emiſſo, ſubitoque terræ fragore corruiſſe, disjectam, ac demerſam Rheno editiſſimam turrim, Caſtellaque in agro ſex, ac quadraginta crebris motibus quaſſa procubuiſſe, pleriſque inſtantibus, ut afflictam Urbem è veſtigio aggrederetur, excelſo animo reſpondit in hæc ferè verba -- Pudor obeſt, ne quos contra, Cælum pugnat, in
„ eos arma feram. Reſurgant Baſilienſes: egomet dabo ma-
„ num: tum ni reſipuerint, ſentiant jus, & arma.

15 Retro fol. 50. ad annum 1339. addit idem Monachus: *eo tempore multi Nobiles, & Comites contra Svviceros proceſſerunt, pro eo quod Imperatori non obediebant, quos juxta caſtrum Leupen penè omnes proſtraverunt &c. Cum autem mala, & ſchiſmata in dies ſuccreſcerent, tandem mors benedicta Ludvvici Bavari pacem rebus Eccleſiaſticis dedit.* Venio ad illam, quæ tum in nos graſſabatur, Georgii nomine infamem turmam; unde ſuſpicor manaſſe in trivio dicterium procax, *non mi fare il giorgio*, dum quis fortè minanti minans, os obtrudit ori. Ne ea phalanx Georgiana coiret denuò, contraheretque Inſubrum pleroſque, ut ſolet, ſimilitudo pares, memorat Flama fol. 1040. latam legem, *ut abſque ulla perſonarum acceptione, omnes exteri reducerentur in ſuam patriam: iſtius legis inceptor fuit Azo, ob cujus meritum, poſſidet Paradiſum.* Inſtitutum quoque commemorat Prætorem alterum, quem adpellat ipſe, *POTESTATEM SECUNDUM, cum jure ſanguinis.* Hunc, qui primus Magiſtratum geſſit, *Lucius vir admirabilis, & terribilis &c. die, ac nocte quærens latrones, miro modo noſtrum territorium à prædonibus purificavit*: Hæ modò *Capitanei Juſtitiæ* partes eſſe videntur præcipuæ; eaſque implet D. ALEXANDER de Caſtiliono, primarius Eques, & ante ipſum explevit Excellentiſſimus Comes Senator D. JO: BAPTISTA TROTTUS, jam Placentinæ Urbi, quæ caput (a), ac columen Togatæ Galliæ eſt, ſummus ab Cæſare datus Adminiſter:

(a) *Procopius lib. 3. cap. 13. Cluveri. Ital. Antiq. lib. 1. cap. 27. Dominic. Georgius de Antiq. Ital. Metrop. cap. 1. cap. 16.*

cui pares, opibus cum tanta nobilitate, ac ſapientia conjunctis, quàm paucos Seculum tulit?

16 Haud ita multo poſt, eandem vim latronum omni, diritate, & immanitate teterrimorum bella reduxere; inde neceſſitas facta exquirendi ad terrorem, ac comminiſcendi quoddam ſupplicii genus vel Barbaris incompertum. Ægriùs fidem capit, quod habet Raphael Cremonenſis fol. 45., duos de Cribello patrueles Antonium, ac Matthæum, formidata Gallis nomina, ſtudio ulciſcendæ Patriæ, ac privatæ injuriæ dolore, quòd ſibi proruiſſent ſuburbana prædia, eò uſque exarſiſſe, ut captos extra agmen, verubus pleroſque juſſerint infigi, ac torreri ad prunas: exenteratos etiam plurimos, & avenâ infartos præberi equis ad pabulum: quoſdam lancinata cute ex humeris, ac minutim concíſa, adinſtar corrigiarum, traduci per compíta, ac vicos; quin èt circumforanei more inſtitoris, præcinente carnifice *ſtringobindelli*, clamitare. Hoc ſeſe loco nobis ingerit atrox Galleatii Diploma, ſalubre tamen, & illi perappoſitum tempori: quod ipſum Diploma adſutum ineſt manuſcripto Codici Novarienſi, vulgò *el Valiſon*, quo uſi nos perſæpè fuimus.

17 *Galeaz Vicecomes Mediol. &c. Imperialis Vicarius Generalis. Ad refrenanda multorum facinora, qui adverſus Statum noſtrum, imo veriùs adverſus Imperialem Majeſtatem in Civitatibus, Caſtris, Villis, & territoriis à Cæſarea Majeſtate nobis conceſſis &c., hoſtili animo, ſeu quocunque modo nobis, & Statui noſtro tranquillo adverſa conantur cum ſceleratiſſimis facinoribus, & aſſiduis rebellionibus, tum multitudine latronum, & aliorum perverſorum hominum invadere &c.*

Poſt multa, ſubſuitur pœnarum deſcriptio ſtylo craſſiore, quo facilior eſſet ad percipiendum ſenſus, ac terror. *Præfatus Domnus Galeaz mandavit Rectoribus ſuis infraſcripta exequi debere, ut nepharia ſceleritas magis perterreatur. Intentio Domini noſtri eſt, quod incipiatur paulatim. Primo die, quinque bottos de curlo: ſecunda die repoſent. Idem fiat uſque ad diem nonam. Nona die, detur eis bibere aqua, acetum, & calcina: decima repoſent. Idem præſcribitur die ſequenti. Tertia-*

decima

decima accipiantur eis dua corrigiæ per ſpallas, & percotentur: quartadecima repoſent. Decimaquinta deſolentur de duobus pedibus, poſtea vadant ſuper cixeros: decimaſexta repoſent. Idem dicitur die poſtera. Decimanona ponantur ſuper cavalletto: vigeſimà repoſent. Idem repetitur die ſequenti. Vigeſimatertia, extrahatur eis unus oculus: vigeſima quarta repoſent. Die vigeſimaquinta truncetur eis naſus: vigeſimaſextà, repoſent. Die vigeſimaſeptima, incidatur eis una manus: vigeſimaoctava repoſent. Die vigeſimanona, incidatur alia manus: trigeſimà, repoſent. Trigeſimaprimà incidatur pes unus: trigeſima ſecundà repoſent. Die trigeſimatertià, incidatur alius pes: trigeſimaquartà repoſet. Die trigeſimaquinta incidatur ſibi uno coyono: trigeſimaſexta repoſet. Die trigeſimaſeptima incidatur aliud caſtronum: trigeſimaoctava repoſent. Die trigeſimanona, incidatur membrum: quadrageſimà repoſent. Die quadrageſimaprimà atanalietur ſuper plauſtro, & poſtea in rota ponatur, & hæc executio facta fuit in perſonis multorum. De his ſimilibus videas Pariſium de Cereta Tom. 8. Rer. Ital. fol. 652.

18 Duos ego alios ſpoponderam *Hieronymum Raphaelem*, ac *Placidum Pucinellum* neotericos Scriptores. Suum luci tradebat pugillarem codicem Raphael anno 1609., quem ego nactus ſum in Ambroſiana Bibliotheca variis adſutum libellis, ne exilitate ſua periret. Exorditur autem hiſce verbis. *Eſſendomi venuto alle mani un antichiſſimo Memoriale della Vittoria, qual ebbe Azzio Viſconti, contro Svizzeri, Griſoni, e Tedeſchi, ed eſſendo con parole popolareſche, qual in que tempi calamitoſi s'uſavano, emmi paruto ben fatto, ſcriverne la preſente.* At Viri docti, quantò libentiùs *Memoriale* illud cum tota ſua barbarie deguſtarent? Centum ſupra viginti paginas infarcìvit nobis, bonus iſte Raphael, immodica paraphraſe. Sucum, ac medullam elicuit Placidus Pucinellus *Zodiac. di Milan. in S. Ambro.* Scitu quædam meliora huc congerimus: infandam Bilincione, Variſii, Gallarate quàquà dirum illud agmen incederet, latronum ritu, editam cladem. Nocturnam Parabiagi aggreſſionem, cui proripuit ſe Protaſius de Cribello centenarius Senex, dum reliqui incolæ, ſtra-

tis

tis cubilium peſſulis promiſcuè mactabantur. Celebriores Mediolanenſium Duces, quorum in eo certamine virtus enituit, Antonium Luchini fratrem, Johannem de Modoetia, Prothaſium de Caymo, Lancillotum Anguiſolam, Dondonicum Malvicinum, & Johannem de Fliſco Iſabellæ fratrem genitæ ex Luca Loanii Comite, Luchino nuptæ. Veſanam quoque blaſphemiam, in quam erupit ille gigas Theutonicus corpore immani, quum oblata ſibi furialis Ambroſii ſpecie, cæcus, & amens, auras quateret vanis ictibus, inclamitans theutonicè, quæ italicè reddit Pucinellus: *maledetto quel bianco camiſone, che m' à minacciato colla ſcuriata: non poſſo far colpo di ſpada.* Quæ, & alia vomentem dira, Luchinus ex adverſo petit, reſupinatoque truncum haſtile in vulnus reliquit; inter hæc Maſtinum luce maligna cæcutientem equus decuſſis lupatis per avia fert. Addit præterea idem Raphael, in calce epigrapham penè obliteratam ſenio, quæ Victoriæ phanum ingredienti obverſabatur intus à lęva, in tabula quadam gypſata, ſubter iconem Roberti de Villanis, udo albario depictam. Atque in hoc, Paulum Jovium emendes, qui pro Roberto Hectorem ſcripſit.

HIC. EST.
MAGNIFICUS. MILES. D. ROBERTUS.
DE. VILLANIS.
QUI. CUM. GENTIBUS. ARMORUM.
MARCHIONIS FERRARIÆ. ET. COMITIS SABAUDIÆ.
QUARUM. ERAT. CAPITANEUS. GENERALIS.
RECUPERAVIT. CAMPUM. CONFLICTUS.
TEMPORE. QUO. D. LEODRISIUS.
DE. VICECOMITIBUS. CASTRAMETAVIT.
IN. PARTIBUS. ISTIS.
CONTRA. MAGNIFICOS. DOMINOS.
MEDIOLANI.

19 Hæc è pluteo dimittens, jam tradideram amanuenſi, quum fortè mihi fortuna ad manus pertulit Cl. *Jo. Andreas*

Iricus

Iricus illud ipſum MEMORIALE tantopere expetitum, quod ſe inſpexiſſe memorabat Hieronymus Raphael. Hoc ut videas, quanti fecerint noſtri Majores, inter primi Seculi typographicos labores editum fuit pagellis quindecim, chartà, ac charactere optimo *ne la inclita Cita de Milano per magiſtro Philippo di Mantegazi dicto el Caſſano nel anno del Signor a di XV. de Febraro MCCCCLXXXXIIII.* Non alia ſanè ratio prelum movit, quàm dignitas argumenti; eſt enim cæteroqui compoſitio ipſa tam inelegans, ut ſæpè riſum excitet, eò fortaſſe pluſculum voluptatis allatura cupido antiquariorum Lectori. Ego claritatis gratià interponam commata alicubi, & apoſtrophes, quæ illinc exulant prorſus. Amputatis verò laciniis, latina etiam verſione abſtinebo; quia nihil affert novi iſte Codex præter rubiginem ſtyli, quæ ipſa non niſi Italicæ linguæ peritos juvare poſſit ad dignoſcendam Scriptoris ætatem. Haud ſanè compoſitum fuit hoc MEMORIALE, quo anno typis editum eſt; cum enim afferat ea ſibi accepta fuiſſe ab iis ipſis, qui prælio interfuere, certè fieri vix potuit, ut qui militaſſet anno 1339., viveret in annum uſque 1495.

Victoria avuta per il noſtro glorioſiſſimo, & Divo Ambroxio Patrone contro li SVIZZERI nel M. CCC. XXXVIIII. adì XXI. Febraro.

ACioche la felice memoria del corruſchante Miracolo del glorioſiſſimo Sancto Ambroxio patrone de l'inclita Cità de Milano, non tranſiſca in oblivione, quello ho inteſo da perſone preſenti al Miracolo, forzerome, ſecundo la teneritate del mio debile ingenio repreſentare. Segnoregiando Luchino Barbâno, & Azone ſuo Nepote de l'inclita familia di Viſconti, quiſto quantoncha predito d'ogni vertute, & ornato di molte ſcientie, & religioſſiſimo al culto divino, jaceva infermo de la podagra, & per tal riſpeto fece fabricare el templo de Santo Gotardo ne la corte del Arengo. Eſſi per comune conſilio governando la Cità ſantamente; uno della ſtirpa loro, aſpirando al dominio, ebbe intelligenza con certi Germani, quali preſſo noi ſi domandano SVICIRI, gente barbara, & feroce, & crudele: datigli dinari in copia, promiſe anchora grande rapina, depopulazione, & ſtrage de Milaneſi; ad tale perſuaſione conduſſe innumere zenti de loro Barbari.

A Luchino, & Azone facto intendere, che in breve vedrano tal zente intrare nel Contato de Milano, & ogni coſſa per fil de ſpata, menare in captivitate li citadini, & vulnerare le matrone, tutta la Cità era sbagotita, & in grande trepidatione, per tali parole orrende, & nephande. Congregato el Popolo domandando conſilio in queſto extremo ponto, fù concluſo, che ca-

cadauno exponeſſe & le facultà, & le propie perſone, per defenſare la Cità; & da tutti animoſamente fue comprobato. Si mandoe Oratore ad li Signori Confederati: fra l'altri il Marchexe de Ferrara, & il Duca de Savoya, inteſa la venuta deſſi SVICIRI, offerſero al tutto loro potere, ogni ajuto. Tra queſto mezo Luchino, & Azone, expoſta la propria pecunia, fano armata; & ſimile fano li Milanexi, chi a pede, & chi a cavallo, ſecondo le facultate loro.

In medeſimo tempo el prefato Marchexe de Ferrara mandoe homini d'armi, el Duca de Savoya. A tutte queſte zenti auxiliare fu dato per Capitanio el magnifico, & ſtrenuo Roberto de Villani, che era paratiſſimo in el meſter del ſoldo. Eſſi SVICIRI, preſo el camino per Birinzona, & Lugano verſo Vareſio, venero ad Gallarate, & altri per Caſtilione verſo Milano, vaſtando, & infeſtando ogni coſa, come è coſtume de Barbari, & poi intrareno in Legniano, facendo penſiero el giorno ſeguente de intrare in Milano, per eſſere diſtante *ſolum* milia ſedici. Intendendo Luchino, & Azone con Roberto, li nimici apropinquarſe, deliberano non aſpectarli dentro de la Cità, acioche li deboli, Matrone, & putini non ſi ſpauriſſino. El dì ſeguente, che fui XXI. de Febraro M. CCC XXXVIIII. Luchino quantoncha vecchio con tutto el popolo Milanexe da pede, & cavallo precedeva con ordine, che Roberto veniſe dreto; con le panzere ſegrete, & ſcuti, baleſtre, ſpate, lanze. Ma Roberto differite per ſpatio de ore trè, la cavalcata dreto Meſer Luchino; peroche i ſoldati foreſteri ſe volſero fornire de quanto bixognava.

Luchino con li Milanexi paſſareno inante X. milia, penſando caſtrametare preſſo Legniano, & ivi expectare Roberto, & poy piliare la pugnia juſtamente. Ma eſſi SVICIRI venero incontro a Parabiago deſtante da Legniano per tre milia, & Milanexi contra l'opinione ſoa, furon coſtretti piliare la pugnia in abſentia de Roberto: con gran ſtridore ſe aſſaltoreno con baleſtre, dardi: l'aere, el Sole per la moltitudine de le ſagette abſcuriva; & tanto fue el cridore, che li habitanti de Parabiago con laſſare le caxe, & ſoy putini, & mogliere fugireno ad le boſchine, exiſtimando d'eſſere menati per le ſpate da Barbari. Meſer Prothaxio Crivello Doctore de leze, quale yo vidi, & vixe anni C. X., & era alora d'etate de anni XVI. fugite a Ravello expetando l'ultimo de la batalia; & fra queſto mezo dal una parte, & l'altra ſe ne feriano per colpi de baleſtre, & dardi. Acoſtandoſe a meſſedare le mani, laſſando l'arme longe da canto, per colpi de ſpata, ſe comette la crudele, & ſpietata guerra.

Li SVICIRI ſe divixero in due ſquadre: ala prima era preponuto uno Todeſcho grande de cubiti cinque, miſurato doppo la morte. Ad l'altra parte era prefeto uno SVICIRO crudeliſſimo, & ſanguinolento, domandato *Malerba*. Li Milaneſe per parolle de Luchino confortati, reducendoſſe a memoria portare in le mane dextre la patria, li parenti, molieri, & figlioli ſtrenuamente debelaveno loro SVICIRI; e molti de loro Milanexe anchora cadevano, ſtando la pugna ancipite: Malerba condutore dela ſeconda ſchiera, come leone rabiado entra in la batalia, & nel primo aſſalto con li ſoi ronchoni fece cadere morti circa ducento Milanexe, quali sbigotiti, & ſtrachi sì per la batalia, sì per el longo viagio incominciarono a debilitare d'animo; Luchino li confortava ad eſſere conſtanti, & preſa una forte lanza traſcorſe fra li inimici; & primo che incontroe, el fece cadere morto, & poy preſe la ſpada; ma la moltitudine de Todeſchi circondoe Luchino, & il ferivano davante, & dreto: altri ferivano il cavallo animoſo, che cazete in terra, & Meſer Luchino fu pigliato, & legato. Li Milaneſe vedendoſſe privato del ſuo Signore,

ſe

ſe cometteno al ſubſidio dela fuga . Eſſi Barbari li ſeguitareno ; non perdonando la vita ad alchuni : coſſa degnia de lacrime ! quante egregie damiſele in quello giorno ſe viduarano, & patri antiqui ſono de fioli, orbati, che era ſubſtentaculo de la vita loro !

Li SVICIRI vedendoſſe vincitori, retornarono a la villa de Parabiago ; dove Luchino fue ligato ad uno troncone de noce, al preſente è l'Altare grande : Si compartireno per le caſe vacue de habitatore, & piene de vitualie, maſime de vino, per eſſere quello loco fertele. Fugendo adoncha li Citadini per diverſi ſenteri, incontrareno Roberto già propinquo . Vedendoli Roberto ſpauriti, inveſtiga ; e li fue narrato el grandiſſimo conflito, la preſa de Luchino, la ſparſione del ſangue . Roberto revolgendo nel animo quello fuſſe a fare in queſto extremo, & infortunato caſo, moſſo da una bona, & forte raſone, deliberoe de aſaltare li inimici, conſiderando havere la zente repoſata, electe, & experte : montoe ſopra uno gagliardo corſero, & dato ſegnio, che ſe haveva ad fare una aſpera batalia, diſcoreva per le ſquadre, metendoli ordene, confortandoli ad ponere l'armeto, fiancali, & quanto bixogna, & eſſere d'animo infranchato, a fare demoſtrazione dele ſoi virtute . Sagaciſſimo deliberoe aſaltare impetuoſamente l'inimico, & per tale reſpeto tolſe la terza parte de tuto l'exercito, e luî primo precedeva . Vide grande copia de Barbari, che erano poſti ad la cuſtodia de Luchino: con il ſono dela trombeta, e dogni altra generazione de ſoni, entroe neli inimici, & mirabilmente li opprîmeva, per eſſere quiſti legermente armati, & molti haveano deponute le arme ; però non potevano ſubſtenire l'improviſio aſalto, abandonando Luchino fugivano in Parabiago . Alora Roberto comandoe, che deslegato fuſſe Luchino, el fece montare a cavallo.

Li SVICIRI ululando, e rugiendo in ſo linguagio domandavano i compagni, quali erano per le caſe crapulando, & avendo la teſta piena de vino, venero inordinatamente ala batalia . Li conductori vedendo el loro excidio, come è coſtume, ſe addunareno tutti inſieme, come li porci, che temono altre fere, & fano tra loro uno fortilitio, o ſia caſtello.

Azo, che era rimaſo a Milano havendo fato ogni coſa, ſecundo l'umano ingenio per cuſtodia dela Cità, non omiſe quello era principale de pregare Dio in tanto pericolo . Eſſo jejuno con li giniochi fliſi, & le mane gionte, Dio omnipotente, quale hai liberato el tuo popolo dale mani di Faraone, habij miſericordia del tuo Popolo Milaneſe, & per interceſſione del tuo ſervo Ambroſio concedene ſiamo liberi dale mani de quiſti latronzelli &c. Ambrogio, quale hai liberato queſta Cità dela infidelitate deli Ariani : così ſia interceſſore de noy preſſo Idio, aciò che ſiamo defenſati da quiſti maligni . Fata tale, o ſomil oratione, Dio volendo havere miſericordia, recolſe el Spirito Ambroſiano, & gli conceſſe per divino miſterio de debellare li inimici, & liberare la Cità ; la cui proteſtà ſe demoſtra per ſcutica ; che per eſſere trepartita, & procede da uno troncho, ſi viene a ſignificare da Patre, Fiolo, & Spiritu Santo eſſerli data la poteſtate . Adoncha l'anima beata de Ambroſio, come è natura de Spiritu, quando vogliano eſſere conoſciuti dali ochij humani, aſſunſe uno corpo aereo, come è judicio de tutti li teoligi, & in forma de uno bello Veſcovo, con uno cavallo biancho, tenendo in la mano deſtra la ſcutica, & con la fineſtra regeva el cavallo, non tocando però la terra, ma volando per l'aere, ſe fà ſopra al globo de Barbari, & li menazò con la ſcutica, & per tale cominatione li fece timidi, & immobili . Li condutori de tali Barbari nel Contado de Milano, laſſata ogni ſperanza, non ceſſarono de ſtrengere li cavalli, finche non

furono fora del Contado, laſſando li ſui nela piſta. Malerba, che era nel corno deſtro, blaſtemava contro Dio, & Santo Ambroxio in ſoa lingua: *Maladetto ſia quello camiſone biancho, che ha menezato con la ſcutica; may la mia ſpada ha poſſuto fare colpo*; & queſte parole furono hodute da tutti. Et ſi come Dio, fato uno funicolo, ſcacioe quilli compraveno nel templo, uciendo uno ſplendore dala facia, & ochij ſoi: così el Spiritu de Santo Ambroxio ſpartì loro Barbari non altramente, come ſe foſſe trato ogni generatione de bombarde, & altri inſtrumenti bellici. Luchino vedendo li inimici dipartiti, e quello Malerba titubare, conforta li Milaneſi, che facino ogni extragio de loro. Eſſo, preſo una bona lanza, ſtrinſe el cavallo verzo Malerba, & miſſilgli el ferro nel petto, e laſsògli uno tronco nel corpo. Era coſſa meraveliosa vedere uno vegio ad ſubſtenire tanta faticha: l'amore dela patria, & il Divino auxilio miniſtrava tutto. Così li ſoldati di Roberto da ogni canto menavano li Barbari ſotto piedi ali cavalli, & loro Todeſchi da ogni canto erano fracaſſati, ſenza miſericordia con le ſpate. Con gran ſtenti prefereno quello Mezo-Gigante, quale per la grande offuſione de ſangue, morite ſubito: miſurato ſi trovoy longo braza cinque, & groſſo condicentemente. Pochi delli principali furono preſi, ma morti aſſai, & quaſi tutti quili fugireno, per la via de Legniano, furono morti dali villani, & toltigli valiſſe, & robe, *adeo* che molti per tale ſpoglio ſono richi.

Luchino con Roberto benchè con gran danno deli Citadini, tornareno a Milano, conſolandoſſe del ajuto Divino, conoſcendo, che Dio, & Santo Ambroxio non gli mancava, e la ſtrage ſcriſſero ad li ſoy peccati; tollendo in pace quanto voleva la Divina Providentia. Queſto giorno dicarono ſolemne, & glorioſo, come fecero li Ebrei el dì del exito de Egypto, & feno edificare uno bel Templo, & honorevole, & beneficiato de molte poſſeſſioni in quello locho medeſimo; Ordinarono, che caduno anno andaſſe el Vicario della Proviſione del Comune de Milano con li Cindici ad fare la oblatione ala dita giesſia el dì predito de XXI. de Febraro. In eſſo Templo è pinto Meſſer Luchino, & Roberto con le zente d'arme del Marchexe de Ferrara, & Duca di Savoya con le lettere; *Hic eſt magnanimus &c. ut ſupra*.

CAP. XII.

Alia duo inſigniora S. Ambroſii oſtenta contra Barbaros.

1 ALia complendo operi, ſubdam inſigniora duo S. Ambroſii oſtenta, apud Scriptores idoneos æquè recepta. Ter è Cælo minax adſtitit Dulciſſimus Pater: ſcipione primùm: dehinc ſicà: flagello demum. Fulciendæ primum in Aphrica, perinde ac novus Scipio, orthodoxæ rei præſto fuit anno 398.: auctor eſt Philippus Ferrarius *de SS. Ital. in Annot.* Eo vix-dum mortalibus egreſſo, anno 398. Barbarorum quingenta millia, ductu Maſſezoli, Aphricam inundarunt. Hoſtium tantæ moli, quonam iri obviam modo poſſet, trepida conſultatio quum fruſtrà Senatum Romæ tenuiſſet, Guildo cum ſexaginta millibus accurrere jubetur ex proximo. Ægrè procedenti Romano (quæ enim ſingulis contra denos arma ferentibus ſpes?) ventum erat ad Ordolionis crepidinem, Maderam, ac Sebaſtam interfluentis Urbes. Clara ibi luce ſeſe ſpectandum obtulit Sanctus Ambroſius: lituo, quem manu tractabat, iterum, ac tertiò terram quatiens, ter repetita voce *Hìc*, *Hìc*, *Hìc*, victoriam eo loci deſignavit. Namque congreſſi acie ibidem Romani, tanta Barbaros clade affecerunt, ut exonerata omni metu Aphrica ad Imperium redierit.

2 Perlicenter, & ſine teſte, victoriam hanc *Placidus Pucinellus* citato loco acceptam refert Mediolanenſium precibus; quos eo fortè in exercitu militaſſe autumat, unà hac conjecturà ductus; quòd Mediolanenſes totum præ ſe numen Ambroſii gerant, ſuo haud dubiè ipſorum voto obſequentis, minimè videns *Pucinellus*, quantum honoris Ambroſio eidem deferrent Aphri, quos Ambroſianis etiam ritibus inſtructos ab Auguſtino, atque uſos olim fuiſſe docent litteræ Pauli,

ac Ghebeardi delibatæ aliàs, & iſthic haud gravatim repetendæ: *Deſine admirari imitatrices Sanctorum inquiſitiones noſtras, ſi Ordo Ambroſii, Sancti Spiritus organi, quem Diſcipulus ejus, Doctor eximius Auguſtinus traduxit in Aphricam, nobis transferatur in Germaniam.*

3 Gradum hinc ad aliud portentum facio longe horribilius, quod contra Chunradum Salicum perhibent anno 1038. Andreas Dandalus, Ricobaldus Ferrarienſis, Landulfus Senior, ac Wipo, is qui Chunrado ipſi erat à ſacris. Placet Triſtanum Calchum, ad præfandum adducere. *Anno* 1037. *Conradus per Tridentinas alpes, Veronam tranſgreſſus, Mediolanum venit.* At qua mente? quove conſilio? Ut Ambroſianæ concideret Eccleſiæ jura, ac Mediolanenſi pedum Antiſtiti decurtaret: *cogitare Cæſarem de accidenda, minuendáque Præſulis poteſtate.* Quod ut præclarius intelligi queat, pervelim hæc attendas.

De antiquo regimine, ac principatu Archiepiſcopi Mediolanenſis.
DIGRESSIO.

4 SUmma olim rerum penes Archiepiſcopum erat ſacri unà, ac civilis imperii habenas liberaliter, & ingenuè tractantem. Hæc quaſi forma reipublicæ fortè ex eo orta fuerat, quod Auguſtoli obitu ſub an. 475. Latino Imperio, Græcis nequicquam ſuffragantibus, propemodum extincto, quiſque ad primævam libertatem redierat ſuopte jure, ac natura duce.

Intermortuum verò ab tribus Seculis etſi revixiſſe velis Occidentis Imperium in Karolo Francorum Rege maximo, Italiæque reparatore, qui anno 800. à Summo Pontifice renunciatus eſt Imperator, is cum eidem Pontifici exarchatum Ravennæ, & alia teſte *Anaſtaſio* (a) regalia: tum pro ſua in AMBROSIUM religione, dono attribuit Mediolanenſi Metropolitæ Urbem, ac ſuburbia; ſi qua fides Cæſareo

(a) *Apud Ughell. Tom. 4. in Petrum Mediol. Archiep.*

ſareo Diplomati, quod haud temere laceſſitum Criticis, pro intemerato exponit Ughellus Tom. 4. fol. 70. *CAROLUS Romanum regens Imperium, Rex Francorum &c. ad honorem S. AMBROSII, Petro Mediolani Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus, concedimus quicquid ad noſtram juriſdictionem pertinere videtur, terras, domos, murum, atque omnem diſtrictum Mediolani &c.*

Jus hoc quaſi regium ſive iſthinc derivatum, ſive aliunde, certè Ambroſiano Hierarchæ diu ſtetit; ſed quia permultis idipſum agitari quæſtionibus ſolet, data hac opportunitate ſubjiciam, quæ ex antiquis Chronicis, ac præcipuè ex Flama contraxi in epitomem à Cap. 215. uſque ad 223. Polit. *Novel. M. S. in Bibl. Ambr. ARCHIEPISCOPO Mediolani Domino in temporalibus, & ſpiritualibus tria privilegia conceſſit KAROLUS, & cæteri Imperatores confirmarunt, Jus Sanguinis, Jus Thelonei, ac Jus Monetæ. A tempore Karoli Magni uſque ad Frederici Rubræbarbæ, Civitatem rexerunt duodecim Conſules, Credentia, & Archiepiſcopus. A tempore Frederici uſque in præſens eam regunt Poteſtates.*

Conſules duodecim veſtiti ſemper ſcharleto cum bavaris de hermelíno, quilibet pro ſalario habebat XXV. libras illius groſſæ monetæ: libra erat idem, quod unus Florenus. Eligebantur ſic. De quolibet paratico Artiſtarum, ſeu mercatorum aſſumebatur unus; & fuerunt ferè ſexaginta numero numerati. Iſti eligebant non aliquem de populo, ſed ex Nobilibus tantùm. Nobiles erant Valvaſſores, & Catanei pro Imperio; & Capitanei, & Vaſſalli pro Archiepiſcopo. Electi duodecim in Conſules viri virtuoſi jurabant ſervare Statuta Communitatis, omni privata affectione poſtpoſita. Inter iſtos duodecim, duo plus litterati dicebantur Proconſules (ſeu Protoconſules) *ideſt Priores, & Majores, qui ſemper alios præcedebant in via, in menſa, & in omnibus negotiis. Duo ex his dicti ſunt* Theſaurarii, *& recipiebant introitus Communitatis. Alii duo dicti ſunt* Camerarii, *quorum officium erat facere expenſas, ad quæ Communitas obligabatur. Sex Conſules minores diverſa officia exercebant;*

cebant; erant tamen æquales in ſalario, & veſtibus ſcharletinis. Iſti duodecim ex toto regebant Civitatem; & erat dignitas ad vitam, & ſuccedebant eorum filii, ſi eſſent idonei. Si aliquis Conſulum deliquiſſet, abſolvebatur ad clamorem populi; ſed de cætero ſcharleto non utebatur. Ipſi duodecim eligebant unum Officialem, qui dicebatur Advocatus *Communitatis, cujus officium erat conoſcere ſuper injurias, dampna, & percuſſiones, tamen abſque ſanguine, quod erat munus Conſulum.*

CREDENTIA verò licet non cæperit à tempore Karoli, fuit tamen poſtea introducta, quia Nobiles ideſt Catanei, & Valvaſſores non ſuſtinentes, quod Paratici eligerent Conſules, hoc jus ad ſe ipſos converterunt, & prævaricatis Conſulibus, Statuta nequiſſima contra Populum ſcripſerunt. Tunc congregati populares in uno palatio elegerunt unum ex Nobilibus potentiorem, & ipſum præfecerunt ſibi dominum, qui dictus fuit CAPITANEUS CREDENTIÆ, & interdum appellatus eſt Tribunus Populi. Conſtituto Tribuno facti ſunt duo Conſules Credentiæ ſic dicti, quia erant Viri creditivi, & digni fide; & facta eſt Credentia tam fortis, ejuſque Tribunus tam inclytus, quod contra Nobiles feliciter recalcitraverit.

Archiepiſcopi verò dominium erat fortiſſimum nimis, ultra quam credi poteſt. Auctoritas enim Imperialis, cujus robur, & fundamentum eſt Papalis dignitas, Archiepiſcopis Mediolani contulit jus ſanguinis, cujus executionem dedit Viro ſecundum cor ſuum, qui extunc dictus eſt Vicecomes, *ideſt Socius Archiepiſcopi, quia ipſe erat Comes, ut dicemus. Item habebat Advocatum, ſive Advocatrinum, & Confalonerium, & multos alios officiales, de quibus ſupra.*

Inter alia privilegia permaxima illud eſt, quod poſſit Archiepiſcopus Regem Italiæ eligere, & coronare; qui ipſo facto erat ad Imperium ſublimatus.

Poſſeſſiones, & redditus Archiepiſcopi ſingulis annis fuerunt octoginta millium Florenorum auri. In Cicilia habuit Caſtra, & redditus magnos. Sua erat terra de Guaſtalla cum Padi ripa: in ripa Genuenſi, & in Civitate recipiebat ultra decem mille libras. Circa Civitatem Mediol. per tria milliaria

totum

totum erat ſuum. Etiam ejus erant Plebes Comitatus Mediol., & decimæ, & dignitates. Item erat Dux Burgariæ, Marchio Marthesanæ, & Comes Seprii (Tribus hiſce principatibus conſtabat ferè totus ager Mediolanenſis). Ipſe ſolus in Civitate habebat ſub ſe Cataneos, & Valvaſſores innumerabiles de fidelitatis ſacramento obſtrictos. Si quis velit de divitiis Archiepiſcopi certificari, feuda Archiepiſcopalia conſideret; quia vix eſt aliqua parentela, quæ non ſit pinguedinis ejus adipe ditata.

Inhabitavit Archiepiſcopus in Broleto Veteri, in Pallatio Imperiali, cujus turris altiſsima in ſummitate Baculum paſtoralem habuit in ſignum dominii -- ibi erat mortarium marmoreum cum piſtilli in ſignum, quod cuncta, ſuà potentià conterebat. Habuit tria loca ferialia: Broletum *vetus, ubi Judices de cauſis judicabant, & tabelliones ſententias confirmabant.* Verzarium, *ubi cibaria vendebantur, vinum quoque, granum, & ſal.* Brolium *extra Civitatem, ubi nundinæ animalium. Ex his tribus locis, de quolibet vendito, vel empto vel in cauſis Judicum, certum exigebat cenſum.*

Monetam cudere, aut mutare ſolus Archiepiſcopus poterat ex Imperiali privilegio. Prima moneta dicebatur marcha auri valens XLV. florenos. Alia marcha argenti, quæ valuit quatuor florenos cum dimidio. Tertia Auguſta habens Imperatoris imaginem ex puriſsimo argento groſſa in tantum, quod decem Auguſti valebant unum florenum. Quarta dicebatur Imperialis cum Imperatoris imagine, & ſuperſcriptione, & decem ſolidi Imperialium valebant unum Florenum. Quinta dicebatur Tertiolus; quia ejus tertia tantum pars erat argentea; & viginti ſolidi Tertiol. valebant unum florenum.

Inſuper Archiepiſcopus alios maximos redditus recipiebat Imperiali auctoritate. Super ſtratas regales in exitu quolibet de Comitatu habuit theloneum, & dum intraret aliquis extraneus in equo, vel in curru, aut pedibus, dabat thelonario Archiepiſcopi. Item de quolibet curru ligni, recipiebat unum, de qualibet ſporta piſcium, unum, de qualibet fornata panis unum &c.

5 Has igitur Epiſcopi Mediolanenſis tantas opes, ac poten-

potentiam planè regiam quum aut conterere prorſus, aut imminuere ſtudet Chunradus, compoſitis in Eribertum, qui tum huic Eccleſiæ præerat, vanis criminibus, ipſum capi juſſum, Placentiam in carceres adduxit. „ Ea re, „ *proſequitur Calchus*, Mediòlani nunciatà, ſtupor, ter- „ rorque univerſos cæpit: mæſti, quid agendum, conſu- „ lunt: tres Civitatis ordines, Clerus, Miles, Plebs cen- „ ſent communi nomine intercedendum, ut liber Paſtor „ reſtitueretur: mittuntur ultro citroque nuncii: obſides „ Conradus petit; quibus acceptis, non ſolùm non „ reddit Heribertum, ſed tres alios amicos Epiſcopos re- „ tinet Vercellenſem, Placentinum, & Cremonenſem. Tum „ verò mæſtum ſilentium ferocia Mediolani conſilia oppreſſit „. Haud diſſimilia conqueritur Sigonius de Reg. Ital. ad annum 1037. At multò præſtantior auctoritas Landulfi Senioris (a), qui ſuppar geſtæ rei fuit. *Venientes autem Canes Palatini &c. Heribertum detinuerunt. Quo detento, fama ad concives ſuos pervenit &c. Interea majores ætate, & minores, Sacerdotes, Clerici, ac Matronæ nobiles, & Sanctimoniales cilicio induti, corpora Sanctorum jejuniis, & orationibus, litaniis, ac crebris vigiliis Deum ſupplicando viſitabant, & cum longa jejunia ferè uſque ad noctem deducerent, coctum quod comedere debebant, pauperibus ſumma cum reverentia tribuebant. At Sacerdotes, & Monachi intimis ſuſpiriis, magniſque lamentis &c. nudis pedibus DOMINUM, & BEATUM AMBROSIUM exorantes inceſſanter fatigabantur.* Neque ſilet Wipo, (b) Conradi utcunque domeſticus Sacrifex. *Heribertum retinuit in ſua poteſtate: deinde commendavit Poponi Patriarchæ Aquilegienſi, & Churoni Duci Carentanorum. Eodem anno in Italia, tres Epiſcopi, Vercellenſis, Cremonenſis, Placentinus apud Imperatorem accuſati ſunt, quos Chunradus comprehenſos exulare fecit: quæ res diſplicuit multis, Sacerdotes Chriſti ſine judicio damnari.*

6 Factum interea, ut Eribertus, vino obrutos cuſtodes

(a) *Lib. 2. Cap. 26. inſert. Tom. 4. Rer. Ital.*
(b) *Titul. De Miraculo in die Pentecoſt.*

ſtodes fallens, Mediolanum effugerit: quæ res Chunradum implet furiis. Admoto exercitu, ni dedant perfugam, extrema civibus denunciat. His denegantibus impavidè, & unà cum ſacro Principe, occumbere paratis, Rex die Pentecoſtes ad portam S. Ambroſii producto vallo, in Ambroſianam Baſilicam, quæ tum extra muros erat, vel aliam cognominem in ſuburbio ſuccedens, novum ibi inſtituere Mediolani Præſulem parat. Horrendum viſu! Sole in medio oborta nox, unis hoſtium caſtris incubuit, reliqua circum illuſtri, ac ridente cœli plaga. Tum miri, ſupraque modum naturæ horriſoni tonitrus crepuere: pavor ipſe exanimes ſternit: nonnullos elingues, ac ſideratos, ceu ſpirantia quædam ſimulacra oculis hiantibus diu defixit. In eo flammarum prodigiali, atque nubium vortice ſtat S. Ambroſius immani cultro in jugulum Conradi, ni cœptis abſcedat illico, jamjam imminens.

7 Do fontes, unde hæc hauſi. Landulphus cap. 22. 3. 4. poſt enarratam commeſſationem, dormitationemque vigilum, atque Heriberti nocturnam fugam, *quum autem*, ſubdit, *hujus rei eventus ſeriatim ad Conradum divulgaretur, vultu pallenti obriguit. Tandem &c. tota cum Civitate, Heribertum in vincula redigi cupiens &c. convocatis Regibus quatuor, & coadunatis Ducibus, ad Heribertum obſidendum pervenit.* Breviùs totum belli apparatum perſtringit Arnulfus Cap. 13. Tom. 4. Rer. Ital. *Videns ſe Chunradus deluſum, ſuum, & Reipublicæ Heribertum denunciat inimicum. Igitur exiit edictum, ut cuncta ſuæ poteſtatis regna ad Mediolanum concurrerent impugnandum.*

8 Quò demum tantus irarum turbo erupit? Carolus Sigonius de Reg. Ital. an. 1037. „ Conradus, *inquit*, „ ubi Heribertum evaſiſſe cognovit, uſque adeo indi- „ gnatione exarſit, ut continuò Mediolanum verſus „ contenderit. Sex Urbis portas, militum coronà „ circumfuſà obſedit &c. Die Pentecoſtes, Bruno Epiſco- „ pus in æde S. Ambroſii ſuburbana, cum præſente

„ Chunrado, rem Divinam faceret, S. Ambroſium Epiſco-
„ pum, gladium in Cælum vibrantem, atque Chunrado
„ minantem dicitur conſpicatus. Quo facto, ſtatim to-
„ nitrua, fulgura adeo ſæva ſunt conſecuta, ut Bertrandus
„ à ſecretis Regis, ingentis fragoris magnitudine exani-
„ matus à poteſtate deceſſerit, aliique, qui aderant, plu-
„ res extincti ſint. Quibus rebus permotus Chunradus
„ Mediolani oppugnationem relinquit, ac trepido agmi-
„ ne Papiam ſe recepit „ Eadem fermè repetit Calchus ad eundem annum. *Bruno Colonienſis rem Divinam agens, vidit imaginem Ampliſſimi Sacerdotis, quem D. Ambroſium crediderunt, ſtricto gladio terribilem, & Regi, exercituique exitium, minantem.*

9 Wipo, de Chunrado patre mitiùs ſcribens ad Henricum filium, titul. *De miraculo, quod accidit in die Pentecoſtes* „ Eodem tempore, *inquit*, dum Imperator
„ quoddam caſtrum S. Ambroſii, quod Curbitum dicitur,
„ juxta Mediolanum obſideret, accidit ibi, quod plu-
„ res pro miraculo habuerunt. In Dominica ſancta
„ Pentecoſtes, ante horam tertiam, de magna ſerenitate
„ Cæli, ſubito fulgura cum tonitruis eruperunt tantæ
„ fortitudinis, ut multa pars hominum, & equorum
„ periret in caſtris. Quidam præ tanto terrore in
„ exceſſum mentis venerunt ita, ut poſt aliquot men-
„ ſes vix illis ſenſus redierit. Venientes autem, qui
„ extra caſtra fuerant, nec vidiſſe, nec audiviſſe ali-
„ quid tale dicebant „ Addit Flama (a): *tunc Beatus Ambroſius apparuit, habens gladium extractum in manu, qui terribilis oculis Chunradi multa comminatus fuit. Et ſubito fulgura, & corruſcationes mirabiles deſcenderunt.*

10 Andreas Dandalus Tom. XII. Rer. Ital. fol. 241. *Conradus, quoſdam Epiſcopos in vincula conjecit; & quia Mediolanenſis fugâ eſt elapſus, ſuburbia Mediolani incendit. Die verò Pentecoſtes tam gravia fuerunt tonitrua, & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui ſpiritum exhalarent. Bruno Epiſco-*

(a) *Apud Puricell. monum. Ambroſian. ad ann.* 1037.

Epiſcopus , qui cum aliis tribus Miſſam celebrabat , vidit Beatum Ambroſium Imperatori comminantem . His pediſſequus venit Vincentius Bellovacenſis Epiſcopus, qui ſub annum floruit 1250. , in Speculo Hiſtoriali lib. 25. Cap. 17. *Die verò Pentecoſtes , cum Imperator in parva Eccleſia ſecus Urbem &c. tam gravia fuerunt tonitrua , & fulgura , ut aliqui mente excederent , aliqui ſpiritum exhalarent . Bruno verò Epiſcopus , qui Miſſam celebrabat , & Secretarius Imperatoris cum aliis tribus dixerunt , ſe inter Miſſarum Solemnia , vidiſſe S. Ambroſium Imperatori indignando comminantem . Tunc Imperator ex Italia diſceſſit .* Mitto alios, quotquot de eadem Apparitione Scriptores legere cuique facillimum eſt , Corium , Blondum, Pucinellum , Puricellum , Chronicon Belgii Magnum , Petrum Azarium , Rubeum Hiſt. Raven. lib. 4. Hinc *haud immeritò* , infit Ughellus Tom. 4. in S. Ambr. *Mediolanenſis Clerus , ac Populus S. Ambroſium ut patronum , ac protectorem præcipuum colit ; ſiquidem ut Jacobus Apoſtolus Hiſpanis ; ſic Ambroſius Mediolanenſibus præſentem in bello opem non ſemel tulit .*

11 Neque omittam id, quod ibi Landulphus Senior obſidionis ejus diſcrimina enarrans, *factum eſt* , inquit, *ut Eriprandus VICECOMES miles millenarius è REGALI proſapia oriundus* , Baiguerium Conradi ipſius nepotem , juvenem præferocem , qui tactis poculis , ſe quodam veluti ſacramento obſtrinxerat, ne vinum libaret priùs , quàm Mediolanum intraſſet , mox Urbis portæ , infeſta cuſpide irruentem dejecit equo, afflictumque humi jugulavit . Regiæ Vicecomitum ſtirpi ſi qui indiſcriminatim injiciunt falcem, hunc quæſo perſpiciant Landulphi locum ; quem ſuæ ætatis res ſcribentem magni pendere oportet , ita commonente nos Cl. Collega Saxio in notis ad Sigonium de Reg. Ital. num. 63. *ut hiſtoriæ veritas innoteſcat* , *legendus eſt Landulphus Senior* . Sed de his agam Tomo ſequente. Cunrado itaque litui Mediolanenſis amputandi ſpe dejecto , quæ in Ambroſii honorem collata olim, aut ſanè firmata ab Carolingiis jura fuerant , ope Ambroſii ejuſdem Mediolanenſi Archiepiſcopo retenta ſunt . Poſt hæc anno geſta 1038., quantæ & in

 ævum.

ævum ſequens Ambroſiano Principi manſerint opes, illuſtre documentum ſtatim exporrigam illo ipſo confectum exitiali anno 1162., quo ruinis immanibus conſepulta procubuit Urbs, juſſis ab Ænobardo ad quintum lapidem exceſſe civibus: tum Præſul noſter Obertus in Franciam ſoſpes evaſit, quò velut in ſtationem Apoſtolicæ fidam carinæ, proceſſerat Alexander III. Is adventantem Ambroſii ſucceſſorem excepit, conſternatum erexit animo, & grandi privilegio communivit; in quo Feuda Eccleſiæ Ambroſianæ accenſentur valde profutura ad dignoſcendum, quæ vel eo Seculo XII. eſſet Epiſcopii Mediolanenſis facultas, & opulentia.

DIPLOMA

Alexandri PP. III. pro Eccleſia Mediol., editum Turoni, anno 1162., extat in Archivo Baſilicæ Modoetienſis.

ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Oberto Mediolani Archiepiſcopo, ejuſque Succeſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum. In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, diſponente Domino conſtituti, ex injuncto nobis à Deo, Apoſtolico officio, Fratres, & Coepiſcopos noſtros honorare debemus attentiùs, & ſincera charitate diligere, & loca eorum gubernationi commiſſa, Beati Petri patrocinio communire, ut de ſuſcepti proſecutione officii, tantò poſſint ſolicitiores exiſtere, quantò amplius à mondanorum fluctuum tempeſtatibus ſecuri fuerint, & quieti. Eapropter, Venerabilis in Chriſto Frater Oberte Archiepiſcope, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ad exemplum felicis memoriæ Papæ Adriani Anteceſſoris noſtri, Beati Ambroſii Eccleſiam Mediolanenſem, cui Deo auctore praeeſſe dignoſceris, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona, eadem Eccleſia

juſtè,

juſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum rationabilibus modis Deo propitio poterit adipiſci firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In Epiſcopatu Taurinenſi Abbatiam S. Conſtantii cum Capellis ſuis. In Civitate Albigavenſi Eccleſiam Beatæ Mariæ cum Capellis ſuis. In Aſtenſi Epiſcopatu, Eccleſiam Beati Petri de Mazano cum Capellis ſuis, ſalvo cenſu unius aurei nobis, noſtriſque Succeſſoribus annualiter perſolvendo. In Albanenſi Epiſcopatu plebem Sancti Michaelis de Verduno cum Capellis ſuis. In Burgulio Monaſterium Sancti Petri, Eccleſiam S. Johannis, & S. Stephani cum Capellis ſuis. In Vercellenſi plebem S. Ambroſii de Fraxenedo cum Capellis ſuis. In Terdonenſi Abbatiam S. Petri de Mola cum Capellis ſuis. Monaſterium S. Caloceri de Clavate cum Eccleſiis ſuis. Eccleſiam B. Johannis de Modoetia cum Capellis ſuis. Abbatiam S. Trinitatis de Buzuzate cum Capellis ſuis. Monaſterium Beatorum Martyrum Felini, & Gratiani de Arona cum Eccleſiis ſuis. Monaſterium Cremellenſe. Monaſterium de Binaga. Monaſterium S. Salvatoris de Modoetia. In Epiſcopatu Aquenſi Monaſterium Quintini de Splegno. Monaſterium Sanctæ Chriſtinæ juxta Oronam: Locum, qui vocatur Sextus cum diſtrictu, albergaria, piſcaria, querितura, & aliis rationabilibus conſuetudinibus, & Capellis Sancti Vincentii, Sancti Gregorii de Buſernago, & Sancti Petri de Aragmago cum parochiis, & poſſeſſionibus ſuis. Marcam Januenſem cum plebibus quatuor, videlicet Reuco, Auguxa, Rampello, Camuli, & Capellis earum, decimis, penſionibus, diſtricto, & aliis rationabilibus conditionibus. In Civitate Januenſi palatium cum capella Sancti Ambroſii, & brolium. In Epiſcopatu Terdonenſi pontem Curonis cum diſtricto, albergaria, & aliis legiptimis conditionibus. Corianum cum Capella. Salvaticum cum diſtricto, & albergaria. Caſale cum albergaria, & aliis rationabilibus conditionibus. Burgulium cum diſtricto, & albergaria. Leucum cum Comitatu. Modoetiam cum diſtricto, & aliis rationabilibus conditionibus. Ripas Abduæ ex utraque parte à Brivio uſque Cavenagum. Ripas Ticini ex utraque parte à Sexto uſque Faram. Locum, qui dicitur Palanzo juxta

lacum Cumanum. Pretam monetam, quam illuſtris memoriæ Lotarius quondam Romanorum Rex Beato Ambroſio, & piæ recordationis Manaſſe anteceſſori tuo, ejuſque ſucceſſoribus, ſicut in ipſo privilegio exinde facto continetur, pro animæ ſuæ ſalute noſcitur legiptimè conceſſiſſe tam tibi, quam ſucceſſoribus tuis auctoritate Apoſtolica nihilominus confirmamus. Ad hæc perſonæ tuæ devotionem, Frater in Chriſto Kariſſime, attendentes, & rationabiles, atque Canonicas Mediolanenſis Eccleſiæ conſuetudines, volentes illibatas in poſterum conſervare, ſtatuimus, ne aliqua Civitatum, quæ jure Metropolitico impreſentiarum eidem Mediolanenſi Eccleſiæ ſubjecta ſunt, futuris ei temporibus ſubtrahatur. Veſtra igitur intereſt in his omnibus Apoſtolicæ Sedis liberalitatem perpendere, & ejus gratiæ debitis beneficiis reſpondere, atque in Beati Petri ſervitio, & Matris Veſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ unitate ſtabiles ſemper, & immobiles permanere. Decernimus ergo ut nulli hominum &c. Dat. Turoni per manum Hermani S. R. E. Subdiaconi, & Notarii II. idus Octubris, Indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno MCLXII., Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. anno IIII.

Inter alia privilegium Manaſſis, Mediolani ſeſe Archiepiſcopum inſcribentis, trahi fortè in ſuſpicionem queat. At largitionis tabulæ, quò magis placuerint poſteris, eò et reſpectum eſt minus ad largitoris titulos. Certè Manaſſes Lotharii in ſocietatem Regni ab Hugone Patre adſumpti frater, ductu Berengarii II. Mediolanenſem Eccleſiam, nec non Tridentinam, Mantuanam, Veronenſem invaſit, ritè nunquam inauguratus, neque albo noſtrorum Præſulum inſcriptus unquam. In averſa tamen præallati Diplomatis inſunt corrupta hæc verba charactere Seculi XIII., quæ vix oculum admittunt: *Habemus alia duo hujuſmodi privilegia facta à Celeſtino, & Innocentio: primum Millex. CXCIII. XV. Kal. Julii, Indict. XI. aliud M. C. XCVIIII. V. Kal. Magii, Indict. II.* Attamen doctos commonefacio in archivio Modoetienſi

doetienſi adeſſe marcidum cujuſdam membranæ fragmen; in quo legere eſt. *Hugo Dei gratia &c. placuit, & bona convenit voluntate inter Gaudentius Arcidiacines, & Cuſtus Ecleſie Sancti Johanis ſcite Modicia, nec non & Bone Subdiacinus de hordine & Congregacione Sancti Johanis, qui fuit de vico Oxo &c. Ad hanc comutacionem providendam acceſit &c. miſſus Domini MANASSEX ARCHIEPISCOPI &c.*

EPILOGUS.

1 HActenus de Anathemate Ambroſiano contra Barbaros. Ego quidem modulos exceſſi, quos metatus mihimet fueram; at ſtylo aſſequi, & expungere breviore, haud potui tot Seculorum præjudicio obfirmatam fidem, tam ſpecie veri fallentem, quam reapſe penitus falſam. Reſtat, ut Sanctum AMBROSII Numen humili prece colam; Voſque, oh FRANCIGENÆ dulce, ac placabile genus hominum exorem. Luſit nos ambigua vox GALLI ſcitè utcunque Epigraphario illi, & Ambroſiano Liturgæ uſurpata. Patefactum errorem exoſi de pectore abjicimus, ac deteſtando abdicamus. DIVO CAROLO equidem jam tum ſubolaerat neſcio quid homini divino; qui quum Miſſale haberet ſub lima cenſoria anno 1582., triſte illud in Gallos carmen jampridem emendatum, omnino juſſit abradi. Aſt nondum ablatum ſatis offendiculum erat; ſiquidem fortiùs in vetita nitente ingenio mortalium, eò cupidiùs exquiruntur antiquata Miſſalia, & quicquid ineſt ulceris, exſcribitur, circumfertur, oſtentatur. Unum quod eſſe poterat, hac ætate remedium attulit AUGUSTISSIMUS CÆSAR, cujus numine permoti Itali ſua quiſque ex archivis deprompſit hiſtorica monimenta, queis pura putaque veritas tandem enituit.

2 Conquieſcat demum igitur humana mens, quam diu ſollicitam hinc ſacra Miſſalium auctoritas, inde auctoritati obſiſtens angebat ratio. Etenim quis crederet, S. Ambroſium tam ingrato animo, ut Gallos propelleret ex hac

Urbe,

Urbe, quam niſi iidem erexiſſent Galli, forſitan ignobilis, ut anteà, vicus jaceret, neque Ambroſius ipſe juxtà præordinatam à Deo rerum ſeriem, Mediolani unquam fuiſſet Epiſcopus. Quoniam igitur in propatulo poſita res eſt, nemo ſit tam væcors, ut antiquum errorem adamare apertis oculis, ac defendere velit ſuum. Abſit verbo invidia: duris nolim, ſi quæ ſunt, hujuſmodi cervicibus Ambroſii ſcuticam intorqueri. Nulla par flagitio pœna, ſiquis adverſus hiſtoricorum omnium fidem, auſit adhuc de ſuo cerebro contendere, Francos adverſus Mediolanenſes bellum geſſiſſe, quo ipſo tempore Mediolanenſes, Francique pro Eccleſiæ, & Imperii dignitate ſacrum ſociale bellum gerebant, quin & temere ad Gallos fata trahens, atque effata triſtia, nos quoque implicat eodem malo, & hanc Metropolim, quæ præclariſſima Gallorum colonia eſt, probri ejuſdem contagione inficit. Hoc perpol nunquam exaggerem ſatis, cujus tantæ impietatis, & amentiæ ſit, velle confingere S. Ambroſium, in quo certatim Arelatenſes, Narbonenſes, Trivirenſes gloriantur Galli, immortalem fore ipſorum hoſtem, oblitum Patriæ, ac ſui, nil penſi habentem primæ lucis beneficium, quòd iiſdem conceptus ſyderibus, quòd ex eodem vivido climate, ac delicato illam hauſerit ad ſcientias alacritatem ingenii, illam ad virtutes flexilem indolem mira dulcedine temperatam, quà blandè impios flecteret, ipſoſque Cæſares, ac Tyrannos Theodoſium, Eugenium, Maximum ultro habuerit obſequentes.

3 Neque importuna loco huic incidit mentio *Maximi* Tyranni, ut reminiſcare, quanti Ambroſium ducerent Galli, vel inter vivos agentem. Namque invaſor ille alienigena, quum oppreſsà Gallià, jam Regno Italico immineret, bis ad eum diſertus, ac (a) grati nominis Orator acceſſit Ambroſius. Prima quidem legatione demulſit hominem ſpe Regni turgidum, & à conſilio expeditionis Italicæ removit, tanta apud Gallos reverentià exceptus, ut

(a) *Triſtan. Calchus Lib. 2.*

ut Tyrannus poſtmodum ipſe gloriaretur, ſe Ambroſii aliquando convivam fuiſſe. Altera legatio repulſam tulit multò gratiſſimam; ſi enim rectè attendimus, adventu *Maximi* attrita Ariana factio finibus Inſubrum ceſſit aliquandiu, connitente ad Deum precibus, ac jejuniis Ambroſio (neque enim alia ipſius arma fuere) id quod errori à Puricello *in Nazar. Cap.* 54. ſatis exagitato anſam præbuit opinandi, Sanctum Antiſtitem Arianis ſeſe cædibus immiſcuiſſe, atque inde commentum Flagri appingendi ejus imaginibus ortum. Sed de his ego plura in Opuſculo *Del Sacro Monte di Maria*, quod edidi anno 1739. ſub auſpiciis Auguſtiſſimæ Imperatricis; ſalvis tamen iis, quæ hac de re ſcitè diſputantur apud Cl. *Iricum*.

Atque hic finis eſto: me pro viribus functum habeas multiplici, quo teneor, nomine Ambroſianæ Eccleſiæ Sacerdos, ex Oblatis SS. Ambroſii, & Caroli, & Ambroſianæ Bibliothecæ Propræfectus, ac demum Imperialis Baſilicæ Ambroſianæ Canonicus Honorarius. Quamobrem noſtra permagni interfuit, Liturgiam Ambroſii defendere; cujus ipſe primarius auctor vel minimam particulam defenſurus, eam ſcilicet de lotione pedum in baptizandis, tantum negotii paſſus fuit ab ipſo Pontifice Maximo; ùt fides eſt Libro 3. ejuſdem de Sacram. Cap. 1. ſic ſcribentis: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam; ſed & nos homines ſenſum habemus &c.*

Lector ignoſce, quod hactenus juſſi fecimus, & inviti. Charta nitidiore, & charactere non ita obtuſo pollicemur Volumen ſequens, quod explet Diſſertatio de Origine Cleri Ambroſiani, & antiquis ejuſdem ſedibus a Quarto Seculo ad Duodecimum perducta; ubi intermediis pleriſque apologiis tutabor contra Neotericos, quicquid maximi in Ambroſiana re momenti eſt. Finis.

INDEX

Rerum notabilium in utraque parte hujus Primi Voluminis.

A

ALberti Auſtriæ Ducis inſigne factum pag. 189
Alberti Vicecomitis de Aragonia præconium pag. 215
Alemania anno 1333. inſtinctu Ludovici Bavari, fit contraria Romanæ Sedi pag. 174
Alemanorum nomen recentius, quàm Germanorum pag. 154
Alexander Cyprius Seculi V. auctor laudat Italicam Barnabæ prædicationem pag. 71
— Non quidem ſecutus Pſeudoclementis, ſed aliorum Veterum ſcripta pag. 73 75
Alexandri PP. III. privilegium pro Eccleſia Mediol. pag. 232
Alexandri Theodori Trivultii elogium pag. 187
S. Ambroſius Gallos ex Italia pellit, ac Flagro cædit pag. 125
— Eodem anno 1339. cæpit Flagrum appingi S. Ambroſii imaginibus pag. 142
— Nemus S. Ambroſii undenam dictum pag. 135
— Ejus Scripta non omnia ad nos pervenerunt pag. 42
— Schola S. Ambroſii quid ſit pag. 146
— Hujus Scholæ Primicerius Flagrum circumfert triduo Litaniſmi ante Archiepiſcopum ibidem
— Apparuit S. Ambroſius in Aphrica contra Barbaros tenens Scipionem pag. 223
— Et Mediolani contra Conradum Salicum tenens cultrum ibidem
— Quare Sterilem appellet Martyribus Eccleſiam Mediolanenſem pag. 54
— An fuerit Mediolani Equeſtris Ordo S. Ambroſii pag. 187
Ambroſianæ Miſſæ Præfatio contra Gallos pag. 141
Ambroſiano Ritu quot Civitates utebantur fol. 103
S. Anathalo primus poſt Barnabam Mediol. Præſul pag. 7 8 14 69
Anguiſolæ pag. 218
Annales antiqui Mediolanenſes accenſentur pag. 61
Anſaldi de cauſis inopiæ Veterum Scriptorum pag. 56
Apoſtoli in locis inſignioribus prædicationem ſunt orſi pag. 21
Apoſtolicæ originis gloria quanta ſit pag. 1

Archie-

Archiepiſcopi Mediolanenſis antiquum imperium pag 224
— Ejuſdem privilegia a Carolo Magno pag. 225
— Et ab Alexandro PP. III. pag. 232
Archinti litterarum patroni pag. 123
Azo Vicecomes laudatur pag. 174
— Contra Bavarum Imperii invaſorem inſurgit pag. 180
— Inſtituit legem, ut omnes exteri expellantur pag. 215
— Veniam expoſcit a Summo Pontifice, quod Bavaro adhæſerit contra Auſtriacos pag. 180

B

BArbari ſcripta Mediolani, ſculptaque iteratis excidiis proruunt pag. 10
Barnabas S. Syro Ticinenſi prior in Inſubribus evangelizavit pag. 39
— Ejus mors ad quem annum contrahatur pag. 15
— Qualis ejuſdem oris ſpecies pag. 77
— An prædicaverit etiam Romæ pag. 14
— An fortè in Italiam bis venerit pag. 87
— An fuerit ex majoribus Chriſti affeclis pag. 83
— Die 13. Martii celebratur ejus adventus ad Ædem S. Dionyſii, vulgo Tredicinum pag. 90
— Cur nulla mentio hujus Apoſtoli fiat in Miſſalibus, Breviariis ante Seculum VIII. pag. 94
— Apparet S. Anthemio Cyprienſi pag. 77
— Ei revelat corpus ſuum ibidem, & 108
— Caput, ac Cineres, quando Mediolanum venerint pag. 107 113
— Quæ alibi coluntur, quænam ſint ejus partes pag. 113
— Certum eſt Barnabam condidiſſe Cypri Eccleſiam, ac Mediolani pag. 79
— Id tamen magis ignorabant Cyprii, quàm Mediolanenſes Seculo V. ibidem
Barnabitis, unde origo pag. 92
Baronii inſignis ſententia de adventu S. Barnabæ in Italiam pag. 3
Belloni litterarum altores pag. 123
Belladæ Ticinenſis opinio enunciatur pag. 3
— Et perfringitur pag. 11
Bonæ Card. axioma de manutenendis Patrum traditionibus pag. 3
Borromeæ laudes pag. 212
Brutius Vicecomes Aureæ Coronæ decus obtinet pag. 181
Buringhi Vercellarum Præſulis epocha emendata pag. 68

C

CAcciæ ùt patroni litterarum memorantur pag. 123
S. Cajus tertius a S. Barnaba Mediol. Præſul pag. 26 37

—— Virgis cæſus pellitur ad Montes prope Variſium pag. 54
S. Calimerius per Liguſticos fines auget Chriſtianam rem, non primùm condit pag. 5
S. Caroli ſententia de prædicatione S. Barnabæ in Inſubribus pag. 4 5
Caſati Mediolanenſes pag. 123
Caſtilionæi Bonaventuræ præconia pag. 9 57
Catalogus ſexcentum familiarum, quæ anno 1340. Credentiam S. Ambroſii conflabant pag. 192
Cavæus quid ſentiat in hac cauſa pag. 3
Certitudo Moralis de Italico Barnabæ adventu pag. 116
—— Conſurgit ex omnium Scriptorum, Monumentorum, Traditionum complexione ibidem
Chriſti mortis æquè, ac adventus Barnabæ in Italiam incertus annus pag. 87
—— Quæ dubitatio neutram certitudinem lædit ibidem
Chunradus Salicus tentat imminuere opes, ac poteſtatem Eccleſiæ Mediol. pag. 228
—— Oſtento horribili S. Ambroſii abſterretur ibidem
S. Clementis PP. I. Opera an genuina pag. 72 74 84
—— Ubi agit de Italico Barnabæ Apoſtolatu, nil ineſt mendacii pag. 82 & infra.
Collæ inclyti Senatoris patrocinium ab auctore expoſcitur pag. 123
Clelia Borromæa Scientiarum altrix pag. 213
Collii Franciſci laus pag. 105
Concilii Provincialis VI. ſanctio ad rem noſtram pag. 4
Credentia S. Ambroſii pag. 185
Cribellorum ultio de Gallis ſumpta pag. 216

D

DIcterium illud *non mi fare il zorzo*, undenam fortè? pag. 215
Diocletiani incendium, quantam ſacris Annalibus perniciem attulerit pag. 52
Diplomata I. Joannis PP. VIII., ut Ticinenſis Epiſcopus ad Concilium evocet Mediolani, ac Revennæ Metropolitas pag. 35
—— *II.* Federici Auſtriaci pag. 182
—— *III.* Benedicti PP. XI. contra Bavarum pag. 184
—— *IV.* Alexandri PP. III. pro Eccleſia Mediol. pag. 232
Donatus de la Silva pag. 161

E

EQueſtris Ordo, ſeu Militaris S. Ambroſii, an Mediolani fuerit pag. 187
—— Cui Ordini Princeps adſcriberet nobiliores, & optimos ibidem

Feſtum

F

FEſtum non licet celebrare, niſi de Sancto pag. 4
—— Argumentum Virginis Immaculatæ ibi.
Florentia a S. Barnaba Evangelium accepit pag. 115
—— Ludos celebrat feſto ejus die ibidem
Franciam minimè tangunt Ambroſiana anathemata pag. 152
—— Ejus ſumma laus ex oraculo Gregorii PP. IX. pag. 129
Fridericus Auſtriacus contra Bavarum creatus Imperator pag. 175
—— Elogium hujus Cæſaris ibi.
Fullo Patriarca Antiochenus Arii aſſecla oſtento S. Barnabæ terretur pag. 77 112

G

GAlleatius Vicecomes a Ludovico Bavaro carceri addicitur, & cur pag. 180
Gallia mater peperit Regnum Germaniæ pag. 154 155 207
Gallorum Genus, quàm latè pateat pag. 148
—— Ejus diviſio ibidem
—— Continet Gallo-belgiam continentem Germanos, quibus Helvetii continentur ibidem
—— Propterea Helvetii dicti ſunt Galli, queis Ambroſianus Liturga maledixit & infra
Galli Mediolani conditores pag. 173
—— An iidem fuerint anno 1339. Mediolanum everſuri ibidem
—— Gallicanæ propagines, quot ſint in Italia pag. 150
Germaniæ appellatio, ac diviſio pag. 153
—— Regnum Germaniæ è Franciæ viſceribus eductum pag. 154
—— Quomodo, & quando ibidem
Germanos ipſos Auctor vindicat ab Anathemate Ambroſiano pag. 197
SS. Gervaſii, & Prothaſii multa annotantur pag. 5 54 76

H

HElvetii anathemate Ambroſiano exploſi pag. 208
—— Modò Galli, modò Germani ſolent appellari pag. 209
—— Nihil anno 1339. commune habebant cum reliqua Germania præter nomen pag. 210
—— Quandonam excuſſo Imperio Germanico, libertatem affectaverint pag. 211
—— Eorum ſumma laus ibidem
—— Præfecturas Italicas obtinent ibidem
—— Ipſorum crebræ irruptiones in Italiam pag. 213
Henricus VII. pag. 183
—— Quàm triſtis ejus memoria Italis, ac ibidem

—— Vi-

—— Vicecomitum ſanguini ibidem
Hæretici, ut falſa commendent, vera ſubſternunt pag. 82
—— Hinc pro veris habenda ſunt, quæ ad hæreſim nil ſpectant ibidem
—— Adventus Barnabæ in Italiam, nil ad hæreſim ſpectat; ergo verus fuit, nec ab Eunomio hæretico in Clementinis confictus ibidem

I

IMperium vacans dicitur fore adminiſtrandum a Pontifice pag. 190
Incendium Sacræ Mediolanenſis Bibliothecæ anno 1075. pag. 58
—— Et imperante Diocletiano pag. 52
Inſcriptiones contra Gallos pag. 146
Italia modò dirempta in undetriginta Archiepiſcopos pag. 110
—— Seculo V. tota parebat duobus Romano, ac Mediolanenſi Metropolitæ ibidem
S. Juventii Ticinenſis multa diſputantur pag. 39

L

LIbri Eccleſię Mediolanenſis æſtimati mille auri talentis combuſti pag. 59
Lilia Gallica ſemper creſcunt, nec laborant, nec nent pag. 176
Literæ ſenæ Pauli, & Gebeardi ſuper ignotis S. Ambroſii Operibus pag. 44
Liturgiæ Ambroſianæ vindicandæ neceſſitas pag. 129
—— Quanti eam facerent Galli pag. 130
—— Quanti itidem Germani ibidem
S. Lucas cur ſileat Itali cum Barnabæ iter pag. 12
Luchinus Vicecomes a Gallis captus pag. 135
—— Ope S. Ambroſii hoſtes vicit pag. 142
Ludovicus Bavarus Imperium invaſit. Quanta ejus facinora pag. 174
—— Statuit Imperatorem haud confirmandum a Summo Pontifice pag. 174
—— Creat Antipapam ibidem
—— Multiplici anathemate, ac de hæreſi damnatus pag 177
—— Coronatur Mediolani a tribus Sciſmaticis pag. 179
—— Tentat extinguere Vicecomitum genus pag. 181
—— Mediolanum fruſtra obſidet ibidem
—— Contra ipſum Bavarum pro Eccleſia ſtat Bavariæ Dux pag. 177
Ludovicus Rex Gallorum de Venetis triumphat pag. 147
—— Lapis monumento eſt Mediolani ibidem

M

Manaſſes adſcriptus in diplomate Archiepiſcopus Mediol. pag. 234
Mediolanum, quanto olim major eſſet Urbs pag. 7 21 25 66
—— Prius igitur, quam Papia tenuis olim Urbecula Evangelium accepit juxta Apoſtolicum morem pag. 24
Me-

Mediolani Clerum primitus fuiſse a Syro Ticinenſi ordinatum impugnatur pag. 26
Mediolanenſis Eccleſiæ Annales quandonam ſcribi cæperint pag. 53
—— Quandonam combuſti ibidem & 58
—— An verè ſterilis martyribus fuerit pag. 55
—— Explicatur de hac ſterilitate textus S. Ambroſii ibidem
Miſſalia antiqua ne nomen quidem habent S. Barnabæ pag. 94
—— Miſſa de S. Barnaba nuſquam celebrabatur pag. 95
—— Præter quàm apud Cyprios, ubi natus fuerat Barnabas, ac martyrio coronatus ibidem
—— Reliquæ Eccleſiæ ab eo conditæ colebant primum unaquæque Epiſcopum ſibi ab ipſo Barnaba attributum ibidem, & 117
Mons Lucumonis, quare dictus S. Barnabæ pag. 7

N

S. *Narnus* Bergomo datus Antiſtes ex Schola S. Barnabæ pag. 7
SS. Nazarii, *&* *Celſi* multa diſputantur pag. 26 68
—— Seculo IV. erant ignoti Mediolanenſibus pag. 54
Novallienſis Dux inſtinctor, & auſpex hujus Operis pag. 126
—— Ejus litteræ ad Auctorem pag. 128
Novocomenſes ab Apoſtolo Barnaba Evangelium accepere pag. 6

O

ORdo Equitum, ſeu Militum S. Ambroſii pag. 171 187

P

PApia a S. Ennodio appellatur *Civitatula*, *anguſtum oppidum* pag. 24
—— Quatuor primis Seculis enumerat quatuor dumtaxat Epiſcopos pag. 27 37
—— Nomen *Papia*, an auditum ſit ante Paulum Diaconum pag. 38
—— Ejus Pontificalis ſeries, an interpolata ibidem
S. Paulus num Mediolani evangelizaverit pag. 120
—— Quanta ejus itinera poſt diſceſſionem Barnabæ pag. 15
Pertuſati Caroli Senatus Excellentiſſimi Præſidis præconium pag. 125
SS. Prothaſii, *&* *Gervaſii* Seculo IV. nulla extabat memoria pag. 54

R

RItus Ambroſiani, quàm latè paterent pag. 103
Roberti de Villanis Epigrapha pag. 218

Sabau-

S

S Abaudia, ſeu Allobroges S. Ambroſio, ac Mediolano addictiſſimi pag. 150
—— Eorum ope Parabiagi parta victoria eſt ibidem
Scaligeri Veronenſium Tyranni quot in Deum, & Ambroſianos facinora pag. 166 168
Sepulcrum S. Barnabæ ubi, & quandonam repertum ſit pag. 71 77
Speltæ Ticinenſis opinio innuitur pag. 3
—— Et effringitur pag. 11
Stampa Excell. Familia in Præfatione poſt pag. 124
Supplicia horrenda ad exterrendos latrones pag. 210
S. Syrus Ticinenſis Cathedræ conditor primone Seculo, an quinto effloruerit pag. 31
—— An primùm inſtituerit Clerum Mediolanenſem pag. 26
—— Ejus Legenda diligenti cenſura diſcutitur pag. 27

T

T Eutones icti anathemate Ambroſiano, ex Helvetia potiſſimùm extitere pag. 207
S. Thecla, Pauli Apoſtoli Primogenita, cur Mediolani patrona pag. 120
Ticinenſium Præſulum Chronologiæ, quænam ſit habenda fides pag. 2731, & ſeq.
Tilemontii ſuſpicio eluitur pag. 3
Traditiones patriæ, quantam vim habeant pag. 2 7 11 16 88 114
Tredecinum Mediol. quid ſit pag. 90
Trivultii V. Alexandri Theodori
Trottus Comes Jo. Baptiſta memoratur pag. 215

V

V Acantis Imperii adminiſtratio ad quem ſpectare dicatur pag. 196
Vermenſes, ac Verri præclari Equites Mediol. pag. 123
Vicecomitis Eriprandi Regia ſtirps probatur ex Auctore coævo pag. 231
—— Julii, & Annibalis ſuppetiæ implorantur pag. 123
—— Gaſparis Carmen de Victoria Parabiagi pag. 202
—— V. Alberti de Aragonia
Victoriæ S. Ambroſii monumenta ex marmore a pag. 133 ad 135
Vitaliano Borromæo Auctor ſupplicat ſui amantiſſimo pag. 123

Z

Z Eno Imperator Greciæ obtinuit Evangelium S. Mathæi repertum in ſepulcro S. Barnabæ pag. 111

1/4-

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102171326